



XVII.

Q. B. V. S. S. T.

PERMISSU INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ

ALMÆ SALANÆ,

DE EO QVOD JUSTUM EST

CIRCA

NUDITATEM,

P R Æ S I D E

DN. PAULO HENR. TILEMANNO,

JURIUM DOCTORE,

Disputabit publicè in Auditorio

Jure Consultorum

ad d. Maji MDCCXCII.

AUTOR & RESPONDENS

OTTO CHRISTIAN COCH

HANNOVERANUS.

JENÆ, TYPIS GEORGI HEINRICI MÜLLERI.



WV

Q. B. N. S. T.

PERMISSIO INCIPT FACULTATIS JURIDICAE

ALMAE SALAMANAE

DE EO QVOD IUSTITIA EST

CIRCA

NUDITATEM.

P. R. A. S. I. D. E.

DR. P. ALIBO HENR. TIERMANNI,

JURIS DOCTORIS

Dissertatio publicae in Jurisprudentia

Jur. G. P. H. S. T.

in A. M. S. P. H. S. T.

in A. M. S. P. H. S. T.

OTTO CHRISTIAN GOCH

HANNOVERANUS

in A. M. S. P. H. S. T.





I. N. F.



On me dissentientem habent ii
 B. L. qui πολυτείνων illud Philoso-
 phicum: *Idem quatenus idem,*
semper facere idem, ad causas na-
 tura & necessariò agentes restrin-
 gunt, in causis verò liberis, non
 tam argumento applicationis Aristotelicæ (quæ
lib. 11. de gener. & corrupt. tit. 56. inveniri datur)
 quàm ipsâ ratione suffulti, fallere statuunt, cum
 uno ore ad unum omnes Philosophi causas li-
 beras eas definiant, quæ eodem modo se haben-
 tes, & præsentibus omnibus requisitis, possunt a-
 gere & non agere, & requisitis iisdem existi-
 bus, & eodem modo sese habentibus, possunt di-
 versa agere. Scilicet voluntas humana post lapsum
 ex eodem sæpè objecto ab intellectu cognito &
 repræsentato modo ad instar apis mella, modo
 instar aranæ virus sugere solet, prout nempè pro

A 2

liber-



libertate sua (quam sola formaliter & per essenti-
 am habet, licet ubique intellectui, tanquam cau-
 sã sine qua non libertatis, combinata sit, *Meis-
 ner. Anthrop. Sac. Decad. III. §. 36. D. Petrus
 Musæus Metaph. c. V. §. 9.*) se jungit vel appeti-
 tui sensitivo, objectum sub aliquã specie jucun-
 ditatis ut bonum (*sub specie tristitiæ ut malum*)
 agnitum & repræsentatum appetere jubenti (*a-
 versanti*); Vel rationi, objectum illud ut si-
 mul moraliter malum (*bonum*) agnitum & re-
 præsentatum averfanti (*desideranti*); Sic circa
 ipsam *nuditatem* corporis nostri ab intellectu re-
 præsentatam aliter se habet voluntas appetitui
 sensitivo indomito obsecundans, & in affectum
 amoris inordinati transiens appetendo usum nu-
 di corporis (alterius sexus) moraliter malum, sub
 specie boni jucundi, cujus exemplũ exhibet *S. Scr.
 II. Sam. XI. 2. & seqq. Histor. Sus. v. 8.* Aliter verò
 & rectè se habet eadem voluntas idem objectum
 repræsentatum, ut moraliter malum, averfando,
 prohibens scil. tam proprio, quam proximi intel-
 lectui, ne cogitet de mediis adipiscendi, quam
 loco motivæ, ne ministret aut exequatur, qualem
 voluntatem olim ostentabant Pharisei, qui ob-
 viam habentes virgines ex nimia castitate clausis
 fermè

fermè ac conniventibus oculis incedebant, ac ne obvias mulieres ac virgines adspicerent, & impuris afficerentur affectibus, occurfabant ad parietes, ac frontem allisam cruentam sæpè ac fauciam reddebant, undè & הַמִּקֵּץ הָם לְכַתְּלֵי-אֵם, & וְנִיחַי בְּרִישׁ קִינֵי *venam secans ad parietem*, Pharisaica secta audit apud Talmudicos *Lib. סוטה fol. 22. 2.* Præsentatum verò ut corrupti post lapsum temperamenti & status argumentum (utque malum triste, *vid. Gen. III. 10. Deut. XXVIII. 48.*) vel amoliendo & corrigendo illud, præcipiens scilicet intellectui ut cogitet de remediis, quàm loco motivæ, ut remedia comparet, & applicet, *vid. Gen. IX. 21. seqq. Esai LII. Ezech. XII. 7. Matth. XXV. 36. 43.* vel amolitu impossibile patienter in proprio corpore ferendo, & affectum impatientiæ refrenando (*Job. I. 21.*), in alieno verò virtuosâ commiseratione miseriam nuditatis prosequendo, *vid. Luc. X. 30. & 33.* Ut igitur voluntas post lapsum ad obsequendum appetitui sensitivo proclivior (*Gen. VIII. 21.*) & hæc in parte, circa nuditatem ab intellectu sibi representatam, se rationi jungat, ejusque imperium sequatur, prudentiæ quàm maximè interest, quippe cujus finis est rectitudo moralis actionum Ci-

viuum; vel quod idem est ipsum *summum Bonum*: Sollicitam hinc videre licet illam vel tertiã sui parte, quam Jurisprudentiam, non abs re abludente etymologiã, vocamus, de mediis, i.e. legibus certis, quibus & hæc universalis justitiæ integralis pars in Societate obtineatur. Quæ ipsa media à Jure partim Civili, partim Naturali dictitata, cum nondum in unum collecta legere mihi datum sit, feci sub decenti divini Numinis invocatione periculum confarcinationis fortè non inutilis & injucundæ, & exiguis ingenii viribus paris, quod B. L. proinde æqui bonique consulat, proq; caractere Academici speciminis gratiofo salvo conductu dignari velit.



DISSER-



DISSERTATIONIS
DE EO QVOD JUSTUM EST
CIRCA
NUDITATEM
SECTIO I.

Agens de Nuditate in genere, &
quoad totum Corpus.

SUMMARI A.

S. I. Nuditas Protoplastorum ante
lapsum argumentum fuit potius
puritatis affectuum, & optimi
temperamenti corporis, quam sim-
plicitatis.

S. II. Post lapsum verò agnita ut
(α) causa πρὸς αὐτὴν inor-
dinata & peccaminosa concupif-
centia.

S. III. Inquiritur in αὐτὴν istius
ex aspectu nudi corporis, seu mem-
brorum genitalium, post lapsum
orbis concupifcentia.

S. IV. Ubi occasionaliter taxatur
sententia Beverlandi, ipsum Pro-
toplastorum lapsum in peccami-
noso venereo appetitu & actus
ponentis.

S. V. Indagatur ratio causandi cau-
sa πρὸς αὐτὴν inordinate
concupifcentia (nuditatis scil. &
membrorum genitalium), que
non obvia est in statu naturali, be-
nè tamen in legali, in quo nuditas
etiam (β) est argumentum corru-
pti temperamenti corporis.

S. VI.

§. VI. Mores quorundam populorum (inprimis Romanorum circa sacra Floralia & Majuma, nec non investigationē pubertatis) denudati corporis spectaculum approbantes taxantur, partim legibus correcti & prohibiti notantur.

§. VII. Idem argumentum continuatur, speciatim autem masculorum & foeminarum balnea communia, nudeq; conversationes & concubitus (fornicationis & adulterii presumptionem fundantes) Juribus damnantur.

§. VIII. Uti & contemplationes lascivae virginum & uxorum aliena-

rum clam & aperte invitis ipsis suscepta, ob quas contemplatis aetio competit injuriarum: data occasione hic agitur de Fratris Cornelii lascivo mulierculis imposito poenitentiae modo; item de Adamitarum statum integritatis nuditate imitantium secta.

§. IX. Subjiciuntur tandem nonnulla de denudatione in actibus Judicialibus, scil. tam in inquisitione (Torturā nempe, & in Judicio aque frigidae in der Wasser = Probe der Hexen) / quam in suppliciis & poenis usitata, ubi & de Salvatoris nostri in cruce penduli velamine disquiritur.

§. I.

Summæ quondam nobilitatis apex, quem antè lapsum Adamus in Paradiso tenuit, erat imago opificis Dei, simulacrum illud æternæ virtutis, & speculum factum à Creatore, in quo suæ perfectionis florem & colorem vivis quasi lineamentis adumbrarat, *vid. c. 36. de poenit. dist. 2.* Hauserat à Deo animum, qui sui autoris impressus similitudine in elegantissimi corporis domicilio summi honoris sedem tenebat. Effulgebat maximarum virtutum indole, ad omnem sanctitatem justitiamque à natura compositus. Nullum erat in corpore vitium, quod caliginem rationi offunderet. Nulla in animo affectionum commotio, quæ libidinem in pravum abduceret. Corporis quodam amictu non utebatur Adamus, sed una cum vivo suo adjutorio

jutorio & amicabili vitæ socia nudus obambulabat, nec nuditatem suam aut dignam pudore, aut erubescendam, ducebat, non quidem ex simplicitate tali, quæ in ignorantia magis vitiorum, quàm cognitione virtutum consisteret (*ex mente Socinianizantis Grotii L. 2. c. 2. §. 2. n. 1. vid. Ziegler. ad d. l. Grot. p. 223.*), sed quia eam tum sanctitatis & innocentia, non imperfectionis cujuscumque aut turpitudinis indicium sciebat, nec pravos quospiam motus in membris suis exinde timere opus habebat. *vid. Maxime Reverendus Dn. D. Bajer in compend. Theol. p. 1. c. 4. §. 11. in not. lit. B.* ut ipsa illum innocentia vestivisse, & virtus integumenta dedisse dicatur *in c. 38. 39. de pœnit. dist. 2.* Petrus Picherellus quidem *in cap. 3. Gen. allegante Zieglero d. l. p. 221.* perinde ut Grotius, ex nuditate Protoplastorum colligit, eos tam simplices, incautos, & idiotas, id est, ut explicat, ipse, non ingeniosos, & non intelligentes fuisse, ut nuditatis suæ non puduerit, fuisse ut infantes & pueros, qui inter bonum & malum non discernere, nec discernere appeterent: Uti pari absurditate aliquando plebejus quidam ad suæ farinae socium dicebat: *Bonum fuisse, quod Eva de Arbore scientia boni & mali comederit, aliàs enim nos omnes futuros fuisse ut pecudes, ignorantes quid bonum esset aut malum. vid. Diss. D. C. Ebemnitii de arbor. scientia Boni & Mali, th. 3. & 4.* Verùm illa sententia Grotii non immeritò *Johanni à Felde ad d. l. Grot. p. 116. & seqq.* periculosa, & haud parum pugnare videtur cum iis; quæ de imagine Dei nostri Theologi constanter & rectè etiam ex verbo Dei docent, ut proinde non injustè taxetur Grotius à suis Commentatoribus, qui primum hominem perfectâ rerum prudentiâ præditum, cognitionem virtutis, quam si ignorasset nec exercere potuisset, omninò ha-

B

buisse,



buisse, nec minus novisse malum, sed theoreticè saltem, asserunt. *vid. præter dictos Henniges, ad h. l. Grot. p. 354. & Bœcler, p. 44. it. Calov. in Gen. II. 7.* Ut hinc nuditas Protoplastorum argumentum potius fuerit puritatis in affectibus, optimi temperamenti in corpore, non indigente operimento. *vid. Osiand. ad d. l. Grot. it. Gerbard. ad Gen. c. 2. p. m. 60. conf. C. Thomasi instit. Jprud. Divin. L. I. c. 2. §. 24.*

§. II. Sic nullus omnino vestium erat usus apparatusq; ante contractam pudendi sceleris labem. Cæterum post lapsum cum primi parentes præstantissimâ illâ beatitudine suâ, quâ ad cœlitum dignationem proximo cognationis gradu pertingebant, improbi Diaboli artibus in fraudem illecti, amissâ divinæ virtutis imagine, excidissent, ex eo mentis acies foedis circumfusa tenebris obtorpuit, voluntatis appetitus inordinatus dictamini resistens, deserbuit, sensus obstupuit, corporis robur elanguit, libido rationis obluetata imperio turbulentis animum motibus inquietavit. Agnoscebant se jam nudos, non nuditate amplius sanctitatis & innocentiae, sed miseriæ & turpitudinis seu confusionis, *vid. Ziegl. p. 222.* Aperiebantur ipsorum oculi, & attendebant se nudos esse, *Gen. III. 7.* nimirum, ut pulchrè exposuit doctissimus Pater *Augustinus Tom. 3. edit. Plant. L. XI. de Genes. ad Lit. c. 31. p. 271.* ad invicem concupiscendum, ad peccati pœnam carnis ipsius morte conceptam, ut jam esset corpus mortis, in quo lex in membris repugnaret legi mentis. Neque enim clausis oculis facti erant, & in Paradiso deliciarum cœci palpantesque oberrabant, ut vetitum signum etiam nescientes attingerent, palpantesq; fructus prohibitos ignorando decerperent, sed scriptura usâ videtur verbo translato, ut apertos diceret oculos, qui & antea patebant.
Aper-

Apertos utique ad aliquid intuendum & cogitandum, quod antea nunquam adverterant, sicut *Evang. Luc. XXIV. vers. 31.* dicit: *aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum*, quem per viam non cognoverant, non utique clausis oculis ambulantes, sed eum cognoscere, non valentibus. Mox ut ergo præceptum transgressi sunt intrinsecus gratiâ deserente omnino nudati in sua membra oculos injecerunt, eaque motu, quem non noverant, concupiverunt. Ad hoc ergo aperti sunt oculi, ad quod antea non patebant, quamvis ad alia paterent. Hæc igitur apertio oculorum admissi sceleris & summæ miseriæ animadversio fuit. Nam ante lapsum nihil putabant velandum, quia nihil senserant refrænandum, ut id. *August. de Genes. ad lit. lib. II. cap. I. p. 205.* loquitur. *vid. prolixè Disp. Theol. pro loco D. C. Chemnizii de arbore scientiæ Boni & Mali th. ult. & penult. it. Gerbard. ad Genes. III. p. m. 90. & seq. add. Glassii Phlilol. Sacr. Lib. V. tract. 1. c. 3. pag. m. 1067.*

§. III. Suboritur mihi tamen, ut verum fatear, in hoc ipso non levis animi vacillatio, quomodo nempe illum concupiscentiæ motum, qui primis parentibus post admissum peccatum ex contemplatione nudorum membrorum obvenit, ut novum peccaminosum & refrænandum concipere possim. Absque contentione etenim esse videtur, eundem procreationis modum, nec diversum ab eo, quo nunc homines generantur, obtenturum fuisse, licet primi homines in statu innocentiae perseverassent, *vid. D. Thomas Aquinas (quem Johannes XXII. Pontifex inter Sanctos retulit, & sui magnifico elogio Angelici Doctoris cohonestavit) P. 1. Q. 98. art. 2. [secus ac sentire videntur Adamiani Heretici, de*

quibus refert *Ludov. Vives in Comm. l. 14. August. de Civ. Dei cap. 21.* quod nuptias futuras fuisse non putaverint, si Adamus non peccasset. *add. August. lib. 15. contra Faust. cap. 31.* it. Mahometus, nugivendus ille Turcarum Prophe-
ta, qui in Alcorano suo, primos parentes instinctu Diaboli primùm consuevisse docet. *vid. Hieronym. Kromayer. Scrutin. relig. Diss. 3. part. 1. th. 37. add. pars. 2. th. 57.* opinionem hanc suam ex Babyloniorum & Arabum institutis hauriens, quos congressum conjugalem in impuris habuisse constat *ex Herodoto Lib. 1. c. 198.* imitantes hanc in parte Ægyptios (gentes Mose priores,) aliquot dies etiam ante Sacra Deo facienda concubitu abstinentes: ut Deum in montem ad dandam Legem descensurum, vel ideo de secubitu viri & uxoris mandatum Israëlitis *Exod. XIX. 15.* dedisse probabiliter judicemus, quo populus sanctus ritu illo, tunc ubivis ante sacra recepto, reverentiam tantæ solennitati exhiberet, *vid. Spencer. de Leg. Hebr. ritualib. Lib. 1. c. 8. sect. 3. p. m. 146. add. Osiand. in not. ad cit. loc. Exod. XIX. 15.* Quemadmodum vel eâ ratione Sacerdotibus, de oblato comesturis, usum copulæ connubialis à Deo ad tempus interdictum novimus, *I. Sam. XXI. 4. junct. Levit. XII. 4.* ut Israëlitæ ritibus & observationibus immundiciarum aliquarum ab usu (apud Ægyptios, Babylonios, Cananænos, Zabios, aliosque) recepto non multum discrepantibus sibi ipsi obsequium præstarent, & religionem, cui adsueverant olim, non tam reliquisse, quam mutasse viderentur, *vid. Spencer. l. c. sect. 2. pag. m. 141. n. 6. Osiand. in Comment. ad I. Samuel. XXI. 4. conf. quoque Mart. Geier. de Luctu Ebraor. cap. 21. §. 14.]* Ex se siquidem congressus Mariti & Uxoris nihil scedi aut indigni Statui

tui illo felici & perfecto affricare intelligi potest, licet eò inclinare se prodat *Thomas Browne P.2. Relig. Medici Sect. 9.* ac proinde, quò nobis etiam arborum more citra conjunctionem & coitionem illam vulgarem & trivialem, procreare liceret, exoptet, cui tamen obviam ire posset iis, quæ habet *Becm. in Lin. Doctr. Mor. cap. XI. §. 4. p. 274. & seq. it. Job. Gerhardus Tom. 7. Locor. Theol. c. 28. de Conjug. cap. 6. §. 432. & seqq.* Nec minus ex Anglis ingenio suo abusus *Thomas Hobbes*, & ex Belgis horrendus scriptor *Adrianus Baverland*, de quo etiam §. 4. qui societatem paternam in statu integro fuisse extitutam negant, quos tamen non solum divinæ benedictionis verbis: *Crescite & multiplicamini*, prosternimus, sed & ostensa figura membrisque corporis ad procreandum destinatis in fugam agimus, *vid. Christiani Thomasi Instit. Jurisprud. Div. l. 1. cap. 2. §. 32. & seq.* Hinc itaque stimulus ille primorum parentum, arctiorem amplexum efflagitans, non videtur novus atque commissum demum peccatum secutus, cum ille apud Adamum per primum jamtum aspectum suæ ex proprio corpore productæ Evæ se insinuarit, *Gen. II. v. 23. & 24. conf. Theolog. Posit. Polem. D. Job. Graftii art. 6. in contro. qu. 2. obj. 2.*, eò minus peccaminosus & refrenandus, quò certius ipsi ad producendum sui simile in unum corpus cum socia & uxore coalescere datum & concessum, imò præceptum fuerit. *Genes. I. v. 28. Pufendorf. in Jurisprud. univ. p. 178. Hahn. ad Wesenb. edit. Colon. p. 2. pag. 81. b. Dn. Simon. ad Guilb. Grot. p. m. 155. add. C. Thom. Inst. Jurisprud. Div. lib. 3. cap. 2. §. 21. 42. & seqq.* Verum hic consideranda videtur appetitus illius qualitas & affectio, quæ ante & post commissum peccatum haud le-



viter differebat; Antè lapsum quippè licet actui illi non denegari possit eadem delectationis magnitudo, ut loquitur *August. l. 14. d. C. D. c. 29.* intra suos tamen ille se tenebat terminos, justum suum finem, sobolis scilicet procreationem obtinere contentus, deficiente libidinis ardore in propriâ voluptate acquiescente; cum post lapsum non tam finem suum à Deo ordinatum, quàm vagam & promiscuam explere libidinem sitiret homo peccaminosus, *vid. C. Thom. Inst. Jurisprud. Div. l. 3. c. 3. §. 21. & D. Kromayer. Theol. Positiv. Polem. Art. VII. th. 1. p. m. 331. & seq. Gerhard. d. l. de Conjugio cap. 6. §. 434.* Ut adeò Adamum statim post infelicem pomi prohibiti commestationem appetitum illum in vetitum crescentem & transgressis suis terminis rationi imposteriorum frena denegaturum sensisse probabile sit, quo intuitu Venerea titillatio non absurdè pro signò imperfectionis & corruptæ inclinationis humanæ habebitur, quippè quæ & Protoplastis aures vellicare debuit de amissa imagine divinâ, & malis ex hoc vitio redundandis etiam in posteros, quorum actus matrimoniales legitimi aliàs non semper ab omni morali demerito absolvuntur. *vid. c. 5. & 14. XXXII. qu. 4. Gerhardus d. l. §. 435. & multis seqq. Balduin. de cas. consc. lib. 4. c. 13. cas. XI. Div. Thomas supplem. 3. part. qu. 49. art. 5. & 6.* cujus tamen universa ibi tradita mea non facio, sed Theologorum examini & epicrisi relinquo.

§. IV. Nimum quantum autem ad hanc concupiscentiæ in primis parentibus motum & deperditæ imaginis Divinæ indicem respexit *Hadrianus Beverlandus, J. C. etus Batavus*, causamque cum effectu confundens, totum illorum peccatum de eo interpretatus est, &

& indè, quod prava concupiscentia per genitalem impetum sese vehementer exerat, ansam arripuit, ut radicem peccati originalis quæreret in solo illo impetu, qui per membra genitalia vim suam exercet. Et hanc sententiam proposuit in peculiari diatribe, verba *Genes. 3. v. 6.* à sensu plano, & cuiusvis obvio, ad allegorias longè petitas & obscenas detorquens, dum arborem vetitam, (*Gen. III. 3.* cum quo versu conciliandos relinquimus Theologis *vers. 9. cap. II. & v. 22. cap. III. ejusdem libri*) per virile membrum Adami interpretatur: non ex alio forsitan principio, quam ex quo *Tb. Browne Part. I. Relig. Medici sect. 33. circa fin.* in prioribus Geneseos capitibus probabiliter putat allegoricas adhibendas esse interpretationes, mystico Moysis methodo forte magis congruas, utpotè cui in Hieroglyphicis Ægyptiorum scholis institui contigerat, *add. Not. L. N. E. M. ad eund. p. m. 204.* Sed ob hanc sententiam *Beverlandus* suo merito patria pulsus Londinum Angliæ se recepit; nominata verò ipsius Diatribe publicè in Batavia damnata & combusta est, teste *Dn. Wegleiter. Prof. publ. Theol. Altorffino in Disc. quodam Theol. MSto*, qui ipsum Autorem antè aliquot annos Londini familiariter noverat.

§. V. Mihi nunc operæ pretium videtur in fundamentum naturale pudoris, qui ob nuditatem (præsertim genitalium) oritur, inquirere: Nam utut in se nobile sit, simulque à natura præceptum opus, tam eximium animal, hominem, procreasse, apud cultiores tamen gentes tum membris generationi destinatis, tum ipso generationis actui tam tenera adhæret verecundia, ut eam superare non possint, nisi quibus per longam vitiorum adsvetudinem frons plane obduruit.

Quod

Quod si apud aliquas gentes nuditas, aut apertus concubitus in usu fuit, de quibus *vid. Polydor. Virgil. de rer. invent. lib. 1. c. 4.* illæ à reliquis fœdæ barbariei nota fuerunt damnatæ. Istius verò pudoris ratio non ita inpropatulo est. *vid. Puffend. de G. N. & G. lib. VI, c. 1. §. 29.* Nuditatis certè muliebris apologiam perorat famosum quoddam pleudonymum, scriptum. (de cujus Autore videri potest *Morhof. Polyhistor. lib. 1. cap. 8. p. m. 76. 77.*) *verbis seqq. Natura rerum parens finxit nudos.*
 „ *Nec sartor, nec cerdo DEUS. Propulsandis aëris &*
 „ *tempestatum injuriis inventus vestium usus, non quod*
 „ *quicquam corporibus desit nostris ad pulchritudinis lau-*
 „ *dem, non quod quicquam inhonestum & turpe è tan-*
 „ *ti molitoris manibus exierit, quod tegi deceat. Consistit*
 „ *corporum pulchritudo in recta membrorum compositione,*
 „ *nulla est hercle in vestium ornatu. Æterna mentis ma-*
 „ *ximum est opus corpus humanum. Quis neget? hoc se*
 „ *uno ars conditoris maximè jactat specimine. Qui te-*
 „ *git damnat. Si videri nolisset, deerat facultas, deerat*
 „ *ars? expectasset putas tam mirabili perficiendo operi ar-*
 „ *tes nostras & curas? Insanit, qui obloquitur. Maxi-*
 „ *ma pars orbis terrarum alit nudos & creat. Et sunt*
 „ *plaga, in quibus usum vetat vestium cœli & aëris tor-*
 „ *rens æstus. Videant hi lynces? Regnantis vis natura*
 „ *nudos ostendat hominis artus & lumbos. Nulla illi pu-*
 „ *denda membra iis in regionibus: Partes turpes nulla:*
 „ *Nudum esse probrum non est. Volet & eadem vis natura*
 „ *in aliis abscondi terris, ut propudia, & tegi quadam ut*
 „ *sua scelera, nullius tenax consilii? Volet si viderit pro-*
 „ *bro esse? viderint hi lynces? Græci artibus & ingenio*
 „ *clari fingeant nudos heroas & heroidas nudas. Alexan-*
 dri

dri vidi Romæ statuam Praxitelis opus. Hercule satus
 altero sustinet brachio leonis exuvias, cetera nudus. Qui
 videt picta in tabula Carolum Imperatorem Alexandri e-
 mulum, vultum Principis & manus videt, quod sit Prin-
 cipis. He sunt vestium pictura non hominum. Ineptè
 dixeris te vidisse, quam nunquam videris nudam. Ita
 suâ excidere à dignitate sculptura & pictura. Nunc sunt
 sculptores & pictores scientiarum & artium rudes, si u-
 num aut alterum demas, nebulones, ebriosi, nullius ar-
 tis in arte sua. Pictura descendit à pictura, ars ab arte.
 Sed periculum esse ajunt, si nudos nudasve pingant, idne
 sit prestigiosum quoddam ad flagitia incentivum. Nuge,
 qui degunt ex nostris hominibus in India & America, ubi
 libere patent puellarum partes, nulla tamen moventur li-
 bidine. Visu assuescunt & bebescit assuetudine libido.
 Crede mihi, avaris nos tuemur ipse curis, oculis negamus
 dotes nostras sollicita, & id maxime hominum corda in-
 flammant: majorâ opinione concipiunt quam postea vi-
 dent. Postquam copiam nostri fecimus non ita ardent.
 Obsolescunt momento venustates, quas nudius tertius ad-
 orabant non visas. Vetat lex? illecebras vetitis addit.
 Castiores essent plerique omnes, si liberiores. Fluat, ut
 aqua in rivis, vinum, ebriosum vix investigaris unum
 alterumve. Ambulent nude, se tot, ut sit, non inflam-
 mabit nequitiis amor. Quibus sunt virgines nude in
 tabulis pictis, hoc tamen non tanguntur visu, non moven-
 tur marmorei facti usu diuturno. Stulti illi sapientes rem ex
 sua prejudicant conscientia. Prone ad terram mentes ad
 queque se sentiunt flagitia proclives. Nec studio bonarum
 arum, qua in his nulla sunt, natura malignitas aut corrigi-
 tur aut temperatur. Hæc pseudonymum illud scriptum!

cujus tamen omnia nec probo, nec mea facio. Certum est interim, quod nuditas corporum, per se obscœna habenda non sit, sicuti ex §. 1. (cui add. *Kirchmajer ad Tac. de Mor. Germ. cap. 17. p. m. 259.*) patet, indeque etiam à veteribus virtus semper nuda depingi solita quippe, quæ non ita desiderat divitias & opes, sed immortale nomen, gloriam & honorem, prout apparet ex antiquissimo monumento, cujus est talis inscriptio: *Virtus nudo homine contenta est.* Ob hanc rem gentiles Herculem, ad demonstrandam ejus virtutem, postquam eum in numerum Deorum retulissent, finxerunt nudum, cum exuviis leonis & clavâ, sicut in vetustissimis nummis videre licet, quod post alios diligenter descripsit & depinxit *Guilielmus Choulius, Nobilis Lugdunensis, tr. de antiqua Religione Romanorum. conf. Camer. Hor. Subcists. Cent. 1. c. 34.* Plures præterea Dii Deæque nudipingebantur, *vid. Dempsteri Paralip. ad Rosin. lib. 2. Antiquit. Rom. cap. 20. p. m. 413. & seqq.* Nec etiam membra ista, quæ pudor ex consuetudine regionum tegere jubet, peculiari aliqua deformitate aut absurda figura laborant, utpote propagationi humani generis, nobilissimo utique actui, inservientia. Quò nomine genitalia apud Ægyptios & Athenienses in mysteriorum ritibus religiosè habebantur. *vid. Diodorus Siculus lib. 1. cap. 88. it. Pierius in Hieroglyphicis de pudenda. lib. 34. add. Job. Seldenus de Dis Syris Syng. 2. cap. 1. p. m. 22. & seqq.* & plerique gentiles Priapum adorabant, *vid. El. Schedius de Dis Germ. cap. 4. p. m. 79. Rosinus l. 2. Antiquit. Rom. c. 20. add. Paralip. Dempsteri ibid. it. Glossa D. Lutheri ad c. 5. l. 1. Reg. in voce Miplezet b. nec non Seldenus d. l. cap. 5.* Non enim post lapsum demum Protoplastis genitalia creverunt, ut stultè cum
Para-

Paracelsistis sentit Weigelius, *vid. D. Hier. Kromayeri Theol. Positiv. Polem. Art. VII. tb. 1. p. m. 326. & seq.* Cum ipse actus generationis quoque in se naturæ sit conformis ac necessarius, aptusque tantæ dignitatis animal producere. Nec, secundum iudicium *Cl. Pufend. d. l. c. I. §. 29.* (ex quo plura hic desumere non indignum duxi), planè satisfaciunt rei, qui heic ad divinas confugiunt literas, ubi isthæc verecundia statim post lapsum sese exseruisse memoratur. Nam nihilominus quæstio remanet, cur his potissimum in partibus pudor velut sedem fixerit: cum manus ac lingua hominis non minus in turbidarum aut pravarum ministeria cupiditatum præsto sint. Imò cum edendo primitus homo deliquerit, ista opinio turpitudini oris & manducationi potissimum adhærere debere videbatur. Et licet quispiam regerere velit, hæc membra homini quidem ad pravas cupiditates in mente jam decretas exsequendas ministrare, non verò primum motum & appetitum ad mala, sicut membra illa Veneri potissimum sacra, quando aspectui exponuntur, cedere & imprimere, similiter tamen sequeretur, nullas res, maximè pretiosas conspiciendas exhiberi debere, cum inde mens hominis earum appetentia commotus ad furtum committendam induci possit. Sanè in statu innocentiae, ubi ne quidem talis excessus metuendus erat, nuditas benè durare potuisset, nec intemperies aëris aut clima Regionis vel calidum, vel frigidum immortalia tum atque incorruptibilia hominum corpora, (*vid. Maxime Rever. Dn. Baier. in Comp. Theol. l. I. c. 4. §. 14. in Not. lit. d.*) licet velamentis non operta, affligere quicquam aut eorum sanitati obesse valuisset, *vid. D. Thomas Aquinas*



Part. 1. qu. 97. art. 1. & 2. D. Job. Graffii Theol. Posit. Polém.
Art. 6. n. 12. Nonnulli quidem hic in diversum abeunt,
 qui durante licet statu illo primævo, posteros tamen
 Protoplastorum, qui in Zonas frigidas, aut Tempe-
 ratarum remotiores partes habitatum ivissent, illos nu-
 ditate minus imituros fuisse statuunt; cum non mi-
 nus ac nunc intemperies, hyems, pluviaeque futuræ
 fuissent, cum Naturæ cursus aut stationes cœlestium
 syderum post lapsum nullam subierint mutationem,
 quas proinde tunc etiam æquè declinare oportuisset,
 nisi corpus nostrum mutatum fuit, nec adeo clarum sit,
 (ceu ex homonymiâ vocis בגד & perfidiam, *Jes. XXIV. 16.*
Jer. XII. 1. 2. & vestem, *Lev. XIII. 47.* *2. Reg. IX. 13.* notan-
 tis elicit quidem *Matthia in Theatr. Histor. Theor. pract. pag.*
297. b.), vestes non nisi in signum lapsus & perfidiæ ve-
 nire, siquidem ante omnem gentem contigit lapsus
 humanus, cui sententiæ favere videtur *Becman. histor.*
orb. ter. geogr. & civ. p. 1. c. 9. f. 4. § 5. Verum magis pla-
 cet supra relata & ex Thoma & Theologis nostris de-
 ducta opinio. Nam ut taceamus, multum ad affligen-
 da hominum, corpora, maximè nuda, præsertim post
 diluvium conferre terram aquis devastatam, inde-
 que aërem minus salubrem, quo nihil vehementius va-
 letudinem afficit, *vid. Neubus. Theatr. ingen. human. lib. 2.*
cap. 8. iterum nebulosos, humidos & ad scorbutum cæte-
 raque mala corporis maxime deservientes vapores,
vid. Gerbard. ad Genes. cap. V. p. m. 165. qv. 4. & *Freitagii Noct.*
Med. cap. 21. ac præter hæc Deum quoque pluvias noci-
 vas & desævientes tempestates, quas sæpius propter
 peccata nostra immittere solet, minimè immisurum
 fuisse: ipsa constitutio primæva corporis primorum
 pa-

parentum in posteros derivanda, si in illo statu persistissent, non videtur ullo modo exposita fuisse injuriæ aëris aut tempestatum, ita, ut ex illa quicquam incommodi aut afflictionis percipere potuisset. Si enim corpora tum ex calore, frigore, vel simili aliquo passionem ullam doloriferam, quæ à naturali sua dispositione ea removeret, contrahere potuissent, fuissent & corruptibilia, & consequenter mortalitati obnoxia, quod tamen Scripturæ Sacræ apertè repugnat. Licet autem corpus hominis in illo statu esset molle; tamen præservatum fuisset à passione alicujus duri, vel propria virtute vel divina providentia, *sec. Thomam d. l. concl. 4.* De cætero nihil video, quod vestium usum in statu innocentiae flagitare potuisset, cum nec ad indigitandam diversam hominum, parentum præprimis & imperantium conditionem iis opus fuisset: præterquam enim quod hæc ex alio aliquo exiguo idiomate dignosci potuisset, facile tum quisque familiæ suæ rectorem à cæteris separasset, si nempe regimen, tum maxime economicum, quale per tempus non exiguum ante diluvium in pia Adam per Sethum progenie observatum fuit, obtenturum fuisse cum Politicis & Publicis præcipuis conjecturemus, *vid. cit. à M. Dan. Orzone in Dissert. Jurid. Polit. de Jur. Publ. Imp. Rom. c. 1. pag. 3. & seq. it. Ziegl. de Jur. Majest. Diss. I. lib. 21. Baldum. de cas. consc. lib. 4. c. 12. proœm. it. Georg. Cass. Kirchmaieri de lic. estiv. Exerc. 3. de imper. antediluv. §. 2. & multis seqq. & multi alii, quos hic allegare non vacat. Interim add. Gerb. in Genes. c. 1. p. 31. qu. 7. & in loc. de Magistrat. §. 25, 26.* Post lapsum vero vestium usum gentibus plerisque svasit, tum impedienda promiscua libido, quæ certè, post

corruptum omnino & ad vetita omnia quàm maxime pronum in hominibus appetitum sensitivum, non defuisset, tum tempestatum temporumque propulsanda injuria, tum dignoscendi diversi hominum ordines & status. Notetur incidenter de vario vestitu civium pro ratione ordinis, sexûs, & ætatis introducendo *Autor der Historie der Sevarambes (de quo videri potest Morhof. Polyhist. L. I. cap. 8, p. 75.) 3. Theil cap. 2.* Sicque licet ipsa nuditas membrorum genitalium in se peccatum non sit, in statu tamen legali vestium usu introducto, qui ea detegit, quæ consuetudo gentis tecta esse vult, etiam contra honestatem naturalem peccat, ejusque per proprium pudorem exinde resultantem arguitur, nisi eum insigni malitiâ aut pravâ consuetudine jam expulerit. Honestas etenim naturalis effragitat, ut nihil faciamus, quod scandalum aliis præbere, ordinem honestum inter cives corrumpere, aliosve ad mala excitare possit. Jam verò, qui se turpiter denudat, in his omnibus delinquit: scandalum enim præbet iis, qui eum hoc ex nequitia aut impudentia facere vident, ordini Reipubl. & gentium refragatur, qui tale quid fieri vetat, & alios ad mala excitat, dum eum vel impudentiâ imitantur, vel libidinosè moventur. Neceum excusant quicquam exempla aliorum populorum, qui nudi incedere solent, v. g. Caraybes & alii Insularum novi Orbis incolæ, de quibus vid. *cap. un. in med. de Insul. nov. Orb. in 7mo.*: Nam præter id, quod plerique hi populi à naturali honestate morum cum tempore multum desciverint, pecudum more in promiscuâ libidine vivant, & ut plurimum in illis non tam simplicitas sit, quàm bestialitas, *vid. Ziegl. ad Grot. l. II, c. 3. p. 219. seq.*
&

& *speciatim de Cafris, Dn. Jacobi Ludolfi hist. Æthiop. lib. 1. c. 14. circa fin. add. J. Hug. von Lindschotten Reisebeschreibung in die Orientalische Indien cap. 41. vel tamen ad minimum membra genitalia, licet cætera nudi, operire soleant: ob cœli & aëris torrentem æstum, ipsum vestium excludentem usum, indeque deductum morem regionis eò magis excusandi, quò securius continua nudos visendi consuetudo libidinis stimulum apud ipsos minuit, qui tamen apud nos ejus insvetos eò acrius tali fomento inflammaretur. Non solum itaque hoc in statu nostro peccant ii, qui (inter gentes vestibus utentes) actu & gestu nuditatem suam in periculum castitatis propriæ & alienæ ostendunt, sed & qui repræsentatione per picturam sive sculpturam aliquam taliter immodestam & indecoram libidinosæ commotionis occasionem (docentibus exemplis à *Francisci in der Liebs-Cammer epist. 323. 324. Laurenbergio Acerr-Phil. Cent. 4. hist. 99. petita ex Ælian. var. hist. lib. 5. item D. Simone Præs. Acad. Part. 1. Dissert. 14. c. 2. tb. 4. n. 18. relatis*) periculosissimam præbent, cœpto sub *παύσης ἀκατάστατος* notâ ab Apostolo execrato *Ephes. V. 3. (vid. Ames. de Consc. Lib. V. c. 39. §. 18. & Philander von Sitewald part. 1. visione Satyr. 1. pag. m. 34. seqq.)* eoque magis abominabili, quo irritamentum & scandalum talismodi imaginibus non raro Christi & Sanctorum applicatur irreligiosius, ut non immeritò statuas & picturas, quæ Jesum puerulum nudum repræsentant, improba-verit *Jean Bapt. Thiers in tractatu, cui tit. des jeux & des divertissemens c. 9.* ipsumque nudum crucifixum Salvatorem vel linteo præcinctum, vel omninò vestitum picturis in Cruce repræsentavit pia antiquitas, cum
 ne-*

necesse & commodum haud iudicavit, ut eo modo fi-
 delium oculis subjiceretur, quo crucifixus est ab iis,
 quos *David* (*Psal. XXII. 17.*) canes vocat, qui multa
 egerunt inverecundè, quæ verecundè repræsentari ne-
 queunt, ut rectè monuit *Molanus de pict. cap. 79.* qui etiam
 addit: Imagines crucifixi solo linteo præcinctas, ad pie-
 tatem magis accommodatas esse, quàm vestitas, quarum
 usus fluxisse videtur ex historia, quam narrat *Gregorius
 Turonensis Lib. I. de glor. Martyr. c. 18.* de presbytero, qui
 secundum quietem à Christo jussus est, imaginem cru-
 cifixi in templo præcinctam solo linteo vestire, ne cru-
 cifixus nudus à populo adspiceretur, *Gretserus de Cruce
 Lib. I. c. 22. pag. m. 77.* qualis imago (rarior hodie) visi-
 tur etiam Ratisbonæ ad S. Emeranum in summo altari,
 stolâ & quasi sacerdotali amictu induta, idem *Gretserus
 l. c. Lib. II. c. 3. §. ult. pag. m. 356.* item, nî fallor, Erfurti
 in Ecclesia Cathedrali, ad latus orientale. Non abluden-
 tia ab his de imagine B. Virginis Mariæ lasciviori figura
 pictâ habet *Francisci p. II. der Schaubühne pag. 139. seq.*
 Porro pudoris, quem nuditas obscœnarum corporis
 partium in statu legali producere solet, causam addit *C.
 Puffendorf. de J. N. & G. l. II. c. 1. §. 31.* quod homo sit animal
 superbum, gloriæ decorisque cupidum, & ab ista de-
 struentibus abhorrens, adeoque cum per istas partes
 retrimenta cibi potusque natura ejiciat; quæ non ob-
 sceditatem tantum suam homo averfatur, sed quia ipsi
 conditionem suam exprobrare videntur, quod intra
 corpus humanum sapidissimæ res in tam retram ma-
 teriam mutantur, ne ista imbecillitatis indicia ullate-
 nus pateant, sollicitè superbam hominis indolem ca-
 vere solere. Quæ ratio autem quantum huc faciat,

lecto-

lectoris cujusque liberrimo iudicio committo, qui mecum facile perpendet, hæc naturalia esse homini (quatenus corpus physicum, non spirituale habet) propria, nec ejus perfectioni quicquam detrahere, aut ei post lapsum demum adhærere, cœpisse, quin potius DEum homini jam primitus in summa perfectione formato vitam animalem dedisse, cibis ad sui conservationem indigentem, adeoque in statu etiam illo felici superfluitates ciborum & potus emissuram, licet sine ulla (divina sic ordinante providentia) indecentia, secundum *B. Thom. Aquin. p. 1. qv. 97. art. 3.* Hinc indè ipso quoque *Dn. C. Thomasio*, strenuo alias Puffendorffii propugnatori, methodus ista demonstrandi delicta venerea, quo etiam refert pudendorum revelationem, à pudore & dignitate hominis desumpta, multa videtur petere concedenda, quæ sunt in principio, & arripere multas assertiones pro veris, quas magis per assuefactionem, aut aliorum persuasionem imbibimus, quam ut demonstrationis trutinam sustineant, adeoque, si eruditâ analysi in ejusdem hypotheses inquiras, non adeò firmo eadem nitantur fundamento, in *Instit. Jurisprud. Div. L. 3. c. 2. §. 157. & seq.*

§. VI. Tantum de moralitate nuditatis differendum duxi, videndum nunc quid moribus populorum & legibus Rerumpubl. civilibus circa eam obtineat: Notum siquidem est, plerosque Africæ & Americæ, imo & Asiæ quosdam populos velamentis corpus non operire, & totos nudos (exceptis tamen ut plurimum ipsis membris genitalibus) incedere, *vid. cap. un. alleg. in med. de Insul. nov. Orb. in 7.* Quid? quod in quibusdam partibus regni Abyssinorum plebejæ fœ-

D

minæ

minæ omnibus partibus nudæ obambulent, quibus tamen visis mares non magis moveri solent, quam si manus aut pedes nudos conspicerent, *vid. Franz. Alvarez, descript. Æthiop. c. 32.* De consuetudine quorundam Indiæ populorum refert *Münsterus L. 7. Cosmograph. cap. 71. p. m. 1516.* quod ii, quibus pauperies filiabus jam viro maturis dotem conferre vetat, more bellico resonantibus tympanis buccinisque, eas ducant ad forum, sicque accurrentibus omnibus tanquam ad visendum, spectaculum aliquod aut comœdiam filia à patre accersita vestimenta à posterioribus usque ad humeros removeat, se à tergo & puppi spectandam præbens, mox etiam anteriora detegat, proramque ostendat, ut cui hæ merces expositæ placeant, eam in thorum ducat, nec nisi re benè inspecta mercetur, *Thue keinen blinden Kauff / uti Münsterus loquitur.* Haud absimili modo Britannis longo tempore mos inolevit, conjuges & nurus nudas, & succo herbarum delibutas ad templa ducere, & ita supplicare, ac captivorum sanguine Diis litare, *vid. Camer. Cent. 2. Horar. Succif. c. 41.* Impudicæ quoque meretrices Babyloniorum & aliorum, in quæstuariis cellis omninò denudatæ sedebant, operis duntaxat pudendis zona sive cingulo, quod ex Junco erat, quo facilius rumperetur, & eo habitu amatores suos alliciebant, *vid. El. Schedius de DI German. Syngram. 1. cap. 4. quò refer Baruch. c. VI. v. 42. & 43. add. J. Seldenus de DI Syris Syntagm. 2. c. 7. add. & de prostituta pudicitia Babyloniarum sceminarum in conviviis paulatim denudatione corporis pudorem profanantium Curtium lib. V. c. 1. n. 38.* Nec honestius multo Romani corruptis jam moribus pellucidâ veste utebantur, magno

gno quoque luxuriæ ac impudicitia argumento. Arguit illam manifestâ criminatione *Seneca lib. 7. de benef. c. 9* : *Video, inquit, sericas vestes, si vestes vocande sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus aut denique pudor possit, quibus sumptis mulier parum liquidò nudam, se non esse jurabit. Hæ ingenti summâ ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, ut matrone nostra ne adulteris quidem plus suo in cubiculo, quam in publico ostendant. Neque minus Hieron. lib. in Helvet. Ingrediuntur expolite libidinis victima, & tenuitate vestium nude impudicis oculis ingeruntur. Traxerunt hunc morem Romani ab Ægyptiis, quibus illa profanati pudoris luxuria in usu fuit. Testis in Cleopatra Lucanus l. X. v. 143. seq.*

*Candida Sidonio perlucet pectora filo,
Quod Nilotis acus compressum pectine serum
Solvit, & extenso laxavit stamina velo.*

Variè hæ vestes à Scriptoribus Satyricis & Poëtis appellantur, quam in rem videri potest *Edonis Neubusii Theatr. ingenii humani L. II. c. 3. add. Paralipom. Dempsteri. ad Rosin. l. 5. Antiquit. Rom. c. 31. p. 890. & seqq.* Neque alia veterum est Bombycina sive Byffina vestis, tenui filo pellucida, à Bombyce vermiculo, serici flaminis artifice: Hinc *Propertius L. 2. E. 3.*

Nec si qua Arabio lucet Bombyce puella.

Quo sensu etiam *Martialis L. 8. Ep. 68.*

Fœmineum lucet sic per Bombycina corpus.

Apud Seres in Asiaticâ Scythiâ copiosè est istius vermiculi pullities, unde *Cardano L. 9. Subt.* eâdem significatione serica dicitur. Distingvunt quidem apertè Jcti nostri *Ulpianus l. 23. ff. d. auro & c. & Paulus L. 3. Recept. sentent. tit. 6.* inter Bombycinam & Sericam, quod

in suo etiam Lexico observat *Briffonius*, Bombycinam ex verme, Sericam ex tenui arborum fronde (qualem nostro idiomate dixeris *Bast*) depecti scribens. Sed mea parum refert, an illud luxuriæ tomentum arborum frondibus sua sponte innascatur, an bombycum industria texatur: Illud tantum modo miror apud Romanos, qui alias summi honestatis amatores videri volebant, indeque Censores constituerant, de quibus vid: *Brunnem*, ad ff. de orig. Jur. L. 2. §. 16, n. 15. *Illustr. Struv. Exercit. IV. th. 7.* add. *Rosinus L. 7. Antiquit. Rom. cap. 10.* non hoc solum toleratum, sed eo etiam impudentiæ processisse meretriculas, ut *Floralibus ludis*, præter verborum licentiam, quibus omnis effundebatur obscœnitas, in conspectu populi vestes exuerent, mimorumque fungentes officio, ad satietatem impudicorum luminum, pudendis moribus theatrum detinerent, vid. *Lactant. L. 2. c. 20. de Rel. falsa*, add. *Tertullianus lib. de Spectaculis cap. 17. & 21. it. Rosinus L. 5. Antiquit. Rom. c. 15. & Dempsterus in Paralip. ad ejusd. L. 2. cap. 20. p. 408. & seq. junct. Gothofred. in not. ad Novell. CV. cap. 1. lit. S.* Sed quid miror? cum adhucdum in Italiâ, præsertim Venetiis, testantibus peregrinatoribus, similes ludi, imò & in quibus actus infimul & gestus maximè obscœni exhibentur, pro acquirendâ pecuniâ, in delectationem Magnatum, præsertim exterorum, multoties repræsententur. A *Floralibus* quoque non multum recedebat *Majuma*, ceu pariter populare sacrum. Erat autem *Majuma* festivitas, quæ summâ cum lætitiâ lasciviâque celebrabatur. Nam Romani cum urbis Consule maritimam urbem *Hostiam* adeuntes, in æde Castorum prius sacrificia, à Claudio Cæsare instituta, facie-

ciebant ; deinde inter aquas voluptatibus incumbēbant, invicem sese invadentes, & aqua aspergentes. Ita *Alciatus. ad Cod. de Majuma* & *Lipsius in Tacit. L. 10. ex Suida* referunt. Hunc tamē ludum taliter in aquā exerceri non potuisse mense Majo, quo adhuc nimium frigida aqua esse solet, cum *D. Amayalib. 3. obs. c. 5.* existimat *A. Peregrinus ad d. t. Cod. n. 2. & seq;* ut potius (cum Majus infestus Mensis Romanis crederetur, ob Remi necem, aliosve funestos casus, in primis verò ob Lemuralia, in tantum, ut nec eo mense virgines nubere, *Ovid. 5. Fastor.*

Mense malum Majo nubere vulgus ait & c.

& altero retro versu:

Quæ nupsit non diuturna fuit.

Conf. Rosin. L. 5. Antiq. c. 37. p. m. 954.) eo fine & modo introductum putet, quo per luxum & lasciviam, cessante vero Hymenæo, saltem inter mimos & meretrices nudas theatra nuptiarum celebraretur solennitas. Et prima quidem die præcesserunt impudicæ modulationes, Gauditanæque saltationes & crissationes theatrales, ita tamen, ut nondum corpora penitus nuda oculis omnium objicerentur. Dehinc per totam noctem spectatorum cordibus anxiam expectatione sollicitatis, postero die id, quod tam anxie fuerat expectatum, in Theatri *κολυμβήθρα*, seu piscina, ostendebatur, cum meretrix non una neque deformis, sed Nereidibus similis, totâ naturâ suâ oculis omnium prostituta in mediis aquis ludens natatu, & sursum ac deorsum volutata exhiberetur, vid. latè *Bachmann. de Majumis præsertim cap. 5. §. 20. & seq.* Hoc verò scædum Majumæ spectaculum prudenter non minus, quam piè Imperatores *Arcadius & Honorius* exerceri prohibuerunt, ac solum concesserunt

ludicras artes agitari, ne ex nimia hujus restrictione,
 tristitia inter cives spectaculis assuetos, (Notentur C.
Förstneri Not. Polit. ad l. 3. Annal. Tacit. c. 54. p. m. 134. & seq.
add. Perez. in Cod. de Spectac. & Scen. & Len. n. 7. lib. XI.)
 generaretur l. 2. *Cod. Theod. de Majuma*. Postmodum alia
 constitutione, quæ est l. unica *Cod. Justin. r. eod.* Majumæ
 spectaculum retinuerunt, ita tamen, ut servaretur ho-
 nestas & verecundia castis moribus perseveraret. In-
 terim tamen, invitis omnibus bonis, hujusmodi cho-
 reas & saltationes virorum atque mulierum paganas
 Majumæ interdictas, ipse Autor illarum Diabolus apud
 sibi fœderatos, nominatenus Christianos, hucusque
 conservavit, ut in ipsâ S. Walburgis nocte, Calendarum
 scilicet Majorum auspiciatrice, frequenti panegyri anni-
 versariam festivitatem mancipia sua concelebrare faciat,
 plurimis etiam nudis illuc convenientibus, sicut apud
 illos, qui de Magis scripserunt, videre licet. Sed ne nimium
 divager, illud tantummodo addam, quod Plato & Lycur-
 gus, injunctâ virorum fœminarumq; in palæstris collu-
 ctantium nuditate, omnem ab ingenuis corporibus pudic-
 itiam profligarint, *vid. Plato L. II. de legibus. add. Ovidius He-
 roid. Ep. 16. v. 149. & seq.* Similiter de posteriori, Lycurgo
 nempe, refert *Plutarchus in Lycurg.* illum nudas virgines
 publicis in theatris conspiciendas exhiberi voluisse, adje-
 ctâ mulctâ, si quis adolescentum exercitiorum horum
 spectaculis sese de industria subtraheret, ut desides animos
 hâc viâ ad delectamenta nuptiarum invitaret. Quo
 tamen consiliô hodie minus opus esse videtur, ex-
 uberante nimium quantum appetitu venereo, licet il-
 le ut plurimum non ad honestum matrimonium, sed
 spurcam & meretriciam potius libidinem inclinet.

Illucescit quoque ex *pr. Inst. quib. mod. tut. fin.* quod Romani veteres minus pudicè etiam pubertatem, siue justam ætatem in masculis non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis nudi æstimarint, quapropter ut rectè de ea judicare possent, masculos nudos, & fœminas more Græcorum, *vid. Plato L. II. de LL.* ad umbilicum usque nudatas inspiciebant, ad exemplum Servorum venalium, qui plerunque etiam nudabantur, ut eò melius robur corporis cognosceretur, *Senec. Ep. 80. Sueton. in Caligul. c. 36. Gothofred. ad l. 17. §. 12. ff. de edil. edict. lit. 2. Dempsterus in Rosin. Antiq. Rom. Lib. V. c. 34. pag. m. 779.* item mendicantium, quorum corporis integritas & robur annorum explorabatur inspectione corporis, *secundum l. un. C. de mendic. valid.* Innotescit quippe homini pubertas non solum vocis mutatione, sed etiam testium & mammarum magnitudine, & maximè ortu pilorum pubis, ut testatur *Arist. L. 5. de Hist. Anim. c. 14.* Putant quidem nonnulli, quod in *d. pr. Instit. de habitu corporis* dicitur, non de inspectione nudi corporis intelligendum, sed de inspectione corporis vestiti, prout scilicet conspici aut præsumi potest pubertas; Ita Jure Canonico pubertas ex inspectione habitudinis æstimari solet, *cap. 3. 7. 9. & fin. X. de desponsat. impub.* Et quando contra ipsos excipitur, hunc sensum locum habere non posse, propter addita ab Imperatore verba: *Nostra autem Majestas dignum esse castitate nostrorum temporum existimans, benè putavit, quod in fœminis etiam antiquis impudicum esse visum est, i. e. inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculos extendere.* Regerunt, hoc impudicum, aut castitati minus congruum, non statim ad nudi corporis inspectionem ac æstimationem refe-

referendum, cum impudicum etiam illud sit, quod verecundiæ atque pudori obversatur. Inverecundum autem satis esse, publicè se demonstrare, licet non nudum, & sustinere taxationem de habilitate aut potentia coeundi, *vid. Felwingeri Politica Diss. de Matrimon. n. 39.* Alii dicunt lapsum esse *d. l. Inst. Tribonianum*, habitum corporis ad obscenam quandam inspectionem referentem, ut *Bachov. ad d. l. Inst. Sithmann. Nucl. Jur. civil. Inst. L. 1. t. 10. pr. p. m. 98. Arumæus, Giphanius, Franzkius & alii*, de quibus videri potest *Dn. Simon. Præsid. Acad. p. 2. Diss. 16. Curios. Justin. tb. 8.* cum quo labilem quidem æstimo argumentationem *Hortensii ad cit. tit. Inst. p. 63.* nec quicquam pro Triboniano, (cui adstipulatur *Ulp. in fragm. t. 11. §. fin.*) facere posse judico locum illum *Augustini Lib. confess. 2. cap. 3.* dicentis: *Quin imò ubi me pater in balneis vidit pubescentem, & inquietâ indutum adolescentiâ, quasi jam ex eo in nepotes gestiret, gaudens matri indicavit;* Non tamen ipsi Triboniano hoc in puncto dicam adscribere audeo, cum ex historicis constat, Romanis nudam corporum inspectionem adeo investam non fuisse, nec eos omni tempore adeo castos se gessisse. Siquidem ex *Valerii Maximi lib. 2. cap. 10. de Maj.* abunde constat in Mimorum spectaculis corpora denudata fuisse, sicut & Athletas in ludis publicis nudos certasse notat *Gotthofred. in not. ad fragm. XII. Tab. lib. 1. §. 1. de Ludis lit. e.* Item *Perez. ad tit. C. de Spectac. & Scenic. Lib. XI. n. 7.* quò refer etiam *quæ supra hac thesi de Floralibus & Majuma dicta sunt.* Et Antonius Augusto objicit, quod adultas ætate virgines denudaret, atque perspiceret tanquam Thoranio Mangone vendente, *Sveton. in August. c. 69.* ut inde non mirum in pubertatis æsti-

æstimatione Romanos nudi quoque corporis inspectio-
 ne usos fuisse, saltem in masculis, prout argumentatur
Ludw. in Comm. ad Inst. ad pr. quib. mod. tut. fin. p. 86. ubi
simul respondet ad l. 32. ff. de Minor. § l. 3. C. si minor. se
maj. dix. it. Exerc. III. ad Inst. th. 8. lit. a. add. Rittersbus.
ad Inst. p. 64. nec non Felwinger. (ex quo plura hic deprompsi)
d. l. §. 39. p. m. 510. Quicquid sit, hoc à Justiniano repro-
 batum est, nec hodiè observatur, prout etiam à *Schnei-*
dew. ad d. pr. Inst. n. 5. reprehenditur *Constitutio qua ba-*
betur in Sächf. Land-Recht Art. 42. lib. I. his verbis:
Welches Mannes Alter man nicht weiß / hat er Haar
in dem Bart / und danieden am Bauch / und unter je-
glichem Arm deßgleichen / so soll man wissen / daß er
zu seinen Jahren kommen ist / nec observantiâ amplius
approbata, sec. Glossa. ibid.

§. VII. Multas præterea gentes reperimus, quæ
 impudentem denudationem severè prohibuerunt &
 mulctarunt. Apud Persas, ac si immanè admissum
 foret scelus, nudum conspicerè hominem capite lue-
 batur. *Alex. l. 2. c. 25.* Apud Virgines Milesias, cum
 incertum quâ de causâ eas furor corripuisset certatim
 sese suspendio necandi, isque nullâ ratione sisti posset,
 tandem lex jubens omnes, quæ sibi suspendio mor-
 tem conscivissent, nudas per forum efferri, rabiem
 istam delevit, *vid. Plutarchus de virtutibus Mulierum.*
 Sic quas mors non poterat metus ignominiosæ nudi-
 tatis posthumæ ad sanitatem revocavit. Apud Roma-
 nos nefas erat, parentem cum liberis, nepotes cum
 patruis aut avis, soceros cum generis communia habe-
 re lavacra. *Plut. in Catone. it. Cic. Offic. 1.* Romulus ca-
 pitalem illi pœnam constituit, qui se nudum à fœminâ

E

con-



conspici pateretur, *Plut. in Rom.* Quem postea Adria-
 nus & Justinianus Imperatores sequuti *in l. ult. Cod. de*
Repud. discreta viris foeminisque balnea injunxerunt,
 & dote mulctarunt mulierem, quae cum viro lavaret,
 virum vero ad balneum extraneae mulieris accedentem
 donatione propter nuptias. *conf. Paralipom. Dempsteri*
ad Rosin. L. 1. Antiquit. Rom. c. 14. p. 142. Neque hodie
 quidem Turcarum patitur immanitas, ut aut in pu-
 blico aperta facie foeminae conspiciantur, aut eodem
 cum viro lavacro utantur, ita ut capitale sit viro in-
 teresse, vel conspici in loco, ubi foeminae lavant. *vid.*
Camer. Hor. Sub. Cent. 1. c. 33. add. l' amoureux Africain.
pag. m. 69. Tanta Barbarae genti pudicitiae est cura! Quae
 tamen in quibusdam Germaniae locis maxime negligi-
 tur, ubi promiscua tolerantur virorum & mulierum
 balnea, cum tamen ea consuetudo facile mutari queat
 & debeat: Christianorum enim est avertere omnia a
 Rep. quae vel speciem aliquam in honestatis & obscen-
 nitatis habent; talia autem semper habita fuerunt utri-
 usque sexus balnea, etiam, uti dictum, apud Ethnicos.
 Hinc vulgatus ille versiculus:

Balnea calda Venus sequitur, dum veste renudat.

Quid? quod nec inter mulieres ipsas invicem denu-
 datas omnino desit libidinis ardor, qua de re *vid. Bus-*
bequius Legatus Caesareus in Epist. 3. mira recensens vi-
 tia, quae in nudis mulieribus, licet viri absint,
 nonnunquam pullulent, ita ut nihilo minus quam
 apud nos viri in mulieres, altera in alteram spur-
 co amore exardeat, uti ex exemplo vetulae illius, de
 qua *Busbequ. d. 1. & ex eo Camer. Hor. Sub. Cent. 2. cap. 41.*
 relucet, quae eo dementiae processit, ut & puellam, cu-
 jus

jus amore in balneis capta fuerat, sexu mentito, solen-
 niter sibi desponsare auferit: sed misera cubitum ire,
 fatagens deposito velamine capitis confestim agnita, &
 & per subsequenter sententiam Præfecti Gianizaro-
 rum profundo submersa, justissimas pœnas vesaniæ
 dedit. Conf. de libidinosi hisce mulieribus, quæ Frica-
 trices, Tribades, subagitatrices &c. vocari solent, &
 earundem pœnâ *Dn. Simon in Præsid. Acad. p. 1. disp. 14. de Im-*
potentia Conjugalī cap. 2. tb. 2. & seq. C. Crusius de Indiciis
delictorum c. 18. l. 2. n. 9. & c. 19. n. 18. & seq. Illustr. Dn.
Struv. Ex. 49. tb. 12. & seq. In concilio Laodicensi pe-
 culiare existat capitulum in ord. 30. repetitum in Ju-
 re canon. *Dist. 31. can. non oportet*; quo prohibentur
 Christianis omnibus, imprimis Clericis, communia
 cum mulieribus lavacra, eò quod hæc sit prima apud
 gentiles reprehensio. Etsi enim affectibus suis aliqui
 etiam in ista conversatione cum diversi sexus personis
 temperare possint, (ceu rarò pudicitiae exemplo de
 Livia Augusti uxore legimus, quæ visis aliquando
 nudis obviam sibi factis & ob eam turpitudinem da-
 mnatis hominibus, dixisse fertur: *Eqs matronis qui-*
dem honestis & continentibus nihil à staturis differre,
vid. Dion. in Tiber.); non tamen datum hoc est omni-
 bus: aliis autem lascivioribus non est danda occasio
 libidinum, & simpliciter omne quod inhonesti alicu-
 jus speciem habere potest à piis abesse solet, vid.
Fr. Balduinus de Cas. Consc. L. 4. c. 1. Cas. 3. Adeoque mu-
 lier, quæ contra mariti voluntatem in conviviiis verfa-
 tur, vel foris pernoctat, vel ludis interest, vel lavat
 eodem in loco cum viris, vix evitare adulterii suspicio-
 nem potest, *vid. Arum. Ex. 20. tb. 8. it. Bocerus de Tor-*

cura c. 3. fol. 274. Et de Adulteriis f. 152. n. 51. eaque ratione legatum amittit sibi relictum sub conditione, si pudice & honeste vixerit, *vid. A. Perez. in Cod. ad L. Jul. de adult. n. 49.* præsertim in iis locis, ubi promiscua utriusque sexus hominum balnea in usu non sunt, aut si sola cum solo lavet, imò & si ibidem, ubi sunt communia balnea, sed non nisi à vilioribus personis, quæque è fæce plebis sunt frequentantur, mulier honestioris & altioris conditionis illis utatur, levioris animi notam non immerito incurrit. Nec minus stupri indicium facit, quoties mulier soluta cum viro eodem utitur balneo, seque nudam conspici patitur, *vid. C. Crusius de iudiciis delictorum P. 2. cap. 10. n. 9.* Et quamvis non sufficienter probetur adulterium, si testes dicant, quod viderint mulierem jacentem cum viro, aut quod conspexerint solum virum & mulierem occulte se deosculantes, vel nudum cum nuda in eodem lecto cubantem, vel juvenem in camera dispektoratum & caligis solutis, illam verò recincta tunica, qualiter *Ovid. de Art. Amandi in Corinnam:*

Ecce Corinna venit tunica velata recincta.

conf. Carpz. Pr. crim. P. 2. qu. 60. n. 25. add. n. 19. seqq. Interim tamen facit certam præsumptionem stupri vel adulterii facti, & hinc merito quæstioni subjiciuntur, *c. litteris 12. X. de præsumpt. c. præterea. de testib. Gloss. in l. 35. ff. de fidecomm. libert. add. Crusius d. l. cap. 7. n. 9. circ. fin. Et n. 11.* Cum tali modo convenientes non venisse præsumantur causa agendi poenitentiam, vel dolendi peccata, ut ait *Job. de And. in Gloss. n. 6. d. cap. litteris X. de præf. it. Abb. in d. cap. litteris*, ubi adstruit, quod solus hic concubitus adulterium arguat, licet testes de intrusione

ne

ne vel immixtione carnis, aut quod viderint corpora mixta lumbis tremulantibus vel titubantibus, ut loquuntur, nihil deponant. Hinc *Gloss. d. l. in l. 35. ff. de fideicom. libert.* ait, quod hæc præsumptio sit juris & de jure, ac perinde sit, quando mulier nuda jacuit, adulter verò vestitus, vel si ambo vestiti ita jacuere, vid. *Mascard. de probat. 1 concl. 59. n. 6. & citati à Crusio d. cap. 7. n. 24. 25. 26. juncto Bocero de Tort. cap. 3. fol. 261. n. 102. & fol. 264. n. 108.* Aut quando mulier se nudam vel in pudibundis tangi passa fuit, *Paris. Lib. IV. Cons. 60. n. 6. & 13. Farinac. Op. Crim. q. 136. n. 142. Stryk. de tact. c. f. n. 20.* Similiter indicium levitatis & vitæ minus honestæ faciunt immodestæ saltationes, præsertim quæ fiunt gestibus lascivioribus, ita ut membra aliqua studio detegantur, vel etiam ab omninò nudis habentur. Indè non immeritò *Job. de Pineda in Job. cap. XX. v. 11.* tali in-
 vectivâ eas prosequitur: *Sed, prob Deum! quantum inhonestum & immodestum in ejusmodi saltationibus, iis præsertim, quas nuper ad nos vel meretrix in lupanari, vel Demon ipse ex orco non ad privatas tantum domos, sed ad fora & compita invexit: Lucianus in Dialogis meretricis ex hac tantum nota describit Thaidem: Thais, inquit, saltavit prima nudatis in multum usque talis, sic ex Cratonis persona appellat rem muliebrem & frivolam prisca seculi mulierculas amatorias imitantem, nempe libidinosissimas phædras & parthenopas & Rhodopas: Consonat hisce Scriptura Sacra *Matth. V.* ubi puella saltans coram Herode stupri arguitur. *conf. Crusius d. P. 2. cap. XI. n. 18. seqq.* In India quidem nullis non in conviviis, prouti in Persia etiam sæpissimè, nudarum omnibus in partibus personarum, & plerumque fœmi-*



narum, quæ mercede conductæ sunt, saltationes exhibentur, de quibus inter alios videre licet *Er. Francisci Schaubühne* 1. Theils erste Versamtl. p. 76. & seqq. Huncque morem etiam Græcis fuisse, ut nudi in convivii saltarent, asserit *D. Gotthofred, in Not. ad Ciceronis Orat. VIII. in Verrem. §. 23.* Quod tamen apud Romanos maximè inhonestum & contra bonos mores censebatur, indeque *d. l. Cicero* Apronio Verremii socio, & in Orationibus suis passim Gabinio atque Catilinæ asseclis crimini dat. Prouti rectè quoque ex *l. un. Cod. de Majuma*, (cui festivitati, de qua jam dictum *tb. 6.*, Justinianus ibidem cancellos & limites honestos constituit) colligit *Brunnem. ibid. n. 2.* tollendos è Republica omnes ludos luxuriam olentes & in verecundiam, eoque promiscuas utriusque sexus saltationes lascivas, veneris præambula, refert. *add. Perez. in Cod. ad d. l. un. n. 5.* Hinc maximè laudabiliter in Jure Saxonico prohibita sunt ejusmodi saltationes, da die Manns-Personen mit ihren Kleidern nicht bedecket sich am Tanz sehen lassen / und sich sonst mit ihren Geberden ganz unzüchtig und ärgerlich verhalten / & pudicè ac honestè fieri jubentur, daß sie züchtig und schamhaftig geschehen / Mann und Weibs-Personen züchtig und gebühlich bekleidet und bedecket seyn / &c. in transgressores verò ejus Constitutionis pœna certa statuitur, vid. *Churfürstl. Sächs. Landes-Ordnunge de ann. 1575. von unordentlichen Tänzgen.* Ex sententia quoque Magistratus Gedanensi septem fœminæ totidemque viri, qui nudati omnibus vestimentis conveniant, sicque saltationem Adamiticam, den Adams-Tanz / uti vocabant celebrarant, virgis cæsi ac in-

per-



perpetuum relegati sunt, vid. *Autor Deliciarum Biblicar.*
in Jan. 1690. p. 49. & seq.

§. IIX. Videmus proinde in Republ. maximè etiam honestatem morum requiri, cunctaque meritò eliminanda, quæ vel occasionem aut præsumptionem impudicitiae præbere possunt, prouti nempe leges non iustitiam solum particularem, sed & universalem intendunt, nec bonum solummodo civem, sed etiam bonum hominem efficere cupiunt, quanquam prius principaliter, posterius verò secundariò tantum respiciant. vid. *Illustr. Dn. Struv. Ex. 1. tb. 37. & 42. add. Bæcler. ad Grot. in præfat. p. 38. in fin.* Inde autem rectè quilibet, præsertim fœmina, cujus præcipua virtus pudor est, quem si prostituat, alia omnia non abnuet, (vid. *Loccenius de period. imper. P. I. c. 3. in fin.*) summa cura omnem lasciviæ suspicionem à se avertit, & contra eum, qui coram ea aliquid pudore matronali vel virginali indignum committit, justè apud iudicem experitur. Ita quoque in illum, qui per insidias mulierem nudam inopinantem contempletur, actio injuriarum non denegari posse videtur, pari modo, ut ille, qui osculum invitæ infigit à DD. injuriarum teneri iudicatur. vid. *Illustr. Dn. Struv. Ex. 48. tb. 58. n. 1. Theodor. Colleg. crim. Disp. 2. tb. 16. lit. F. in fin. add. Disp. 10. tb. 4. lit. H. & cit. à Speidel. in Syllog. verb. osculum, quibus obiter addi possunt, quæ habet de affectione & effectibus osculi Gv. Rolsincius Chymia L. 3. sect. 1. art. 1. cap. 7. p. 128. It. El. Schedius de DI s Germ. Syngr. 2. c. 19.* Primo quidem intuitu hoc pacto alteri injuria inferri non videtur, adeoque nec actio competere: Notum enim est injuriam vulgò describi, quod sit delictum, quo quis lædere

stu.

studet alterius existimationem; dilucidum quoque est, omnem vitiosam actionem aestumari ab intentione & fine operantis. Jam verò nemo asseret ei, qui ex nimio amore aut affectu, quo ea, quæ foemina aperta gestat, ita placuerunt, ut & cupidinem illa, quæ aspectui usque dum denegata sunt, visendi inflammarent (nam de eo, qui hoc facit, ut traducendi causam nanciscatur, aperta res est, præsertim si de facto tale quid de illa gloriatus sit) mulierem nudam contemplatur intentionem eam esse, ut ipsius existimationem lædat. Quin potius illi, cuius tam ardenti desiderio tenetur, omnia bona optare præsumetur. Præterea inter illos affectus, qui rectum intellectus iudicium impediunt, primum locum obtinet amor, cuius impetu vel potius furore nihil est vehementius, ut eum retinere Philosophiæ etiam sit perfectæ, secund. *Gotthofr. in Not. ad Nov. 74, c. 4. lit. d.* indeque sapientiam in odio aut in amore iniquus arbiter quærat, *vid. Barcl. in Euphorm. part. 1. Satyric.* Amantes enim amentibus haud absimiles esse, dicuntur, & nescire, quid agant, *vid. Camer. Hor. Subcis. cent. 1. cap. 10. add. C. Thomasi Instit. Jurisprud. Div. L. 3. c. 2. §. 36. & seqq.* Præter rationem proinde videtur statuere, sexui tæminino, cui præ masculino singularis misericordia adscribitur, tale licitum esse, quod ipso jure civili stricto nefas habetur, actionem nempe dari contra eum, qui furioso æquiparatur, & miseratione potius dignus habendus: ab eo itidem pœnam petere, quem talis admiratio formæ ejus & naturæ dotium cœpit, ut eas non obiter, sed singulas & ordine spectare flagraverit. Verùm, quicquid hujus fit, virginem nudam subdolè lustrantem ab actione injuriarum

rum nequaquam liberabit. Inter ea enim quæ à natura ipsa licita habentur, continetur & hoc; ut quicumque malum fecit, malum etiam ferat. Jam autem virginem invitam nudam contemplans, licet eo ipso non habeat intentionem illam ullo modo offendendi, ratione tamen operationis suæ omnino facit malum, quia tale quid committit, quod sibi nullo jure licitum; E. omnino etiam malum ferat necesse est. Nec quicquam officit altera ratio, amorem habere vim rectum iudicium intellectus impediendi, & hoc cessante hominem ad quodlibet malum perpetrandum facillimè adigi, cum ex hoc fundamento homo à pœna in tantum non excusetur, ut hæc pro qualitate circumstantiarum, potius augeri posse videatur, si nimirum affectibus suis non omnibus, quibuscunque potest, modis resistat, sed facile se vinci patiatur. Accedit, quod post lapsum, uti dictum *Sectionis hujus §. 5.* apud eas præsertim gentes, quibus hæc consuetudo in usu non est, membra velanda non sine insigni pudicitia labe, absque causa justificante, oculis aliorum denudata exponantur,isque, qui aspectum illum virgine invitâ insidiosè sibi conciliat, pudori ejus non minus ac osculo, *arg. l. 16. Cod. de donat. ante Nupt.* detrahere & suæ curiositati illius cum præjudicio satisfacere velle videatur. Proinde adeò indigne hoc tulit Lydorum Regina, ut Candalem seu Myrsilum conjugem, cum stulta ostentatione illam nudam Gygi, qui summa apud eum gratia florebat, ostendisset, possessione regni & corporis sui privârit, ei que, cui maritus, non satis ducens se solum ejus pulchritudinem admirari, denudatæ aspectum clam concesserat, se regnumque commiserit,

F

rit,

rit, vid. *Justinus* L. 1. c. 7. it. *Herodot.* l. 1. *Plato* l. 2. de *Republ.* it. cit. à *Gottfrido* P. 2. *Chron.* sub anno M. 3160. p. m. 73. add. qua de *Virginibus Milesiis* dicta sunt supr. §. 7. Cæterum mirâ & nequissimâ sagacitate ac astutiâ *Monachus* ille *Franciscanus*, *Frater Cornelius*, ut libidinofum suum satiaret aspectum, mulieribus, summum prætendens religionis zelum, persuasit, illarum peccata nullâ re melius expiari & deleri posse, quàm si manum ejus & virgam disciplinarem in denudatas corporis partes admitterent. Sed cum formosas quaslibet, non severâ quidem, (ut proinde sæpius adhuc rigorosum illum morum censorem *Catoniano* vultu, sed vulpinâ cauda in formosarum puellarum corpora sævientem, ad ludibrium in picturis spectare liceat) sed longiori disciplinâ detineret, deformes autem & minus gratiosas brevissimis absolveret, mutatis subinde erga pulchriores castigationibus in blanditias, ejus nequitia tandem detecta est, cui tamen nullum aliud à Pontifice piaculum dictatum legimus, quàm quòd *Parochiam* cum alia mutare coactus fuerit, vid. *Gottfridi Chronica* P. 7. sub anno C. 1578. p. m. 949. & seqq. Ridiculi quoque sunt *Religiosi* quidam *Turcarum*, ordinis præsertim, quem *Torlach* vocant, qui omnibus fermè partibus nudi incedunt, vid. *J. L. von Franckenberg Schaubühne der ist regierenden Welt* 2ten Theils 2. Fürstell. §. 25. cætera *Cingaris* non absimiles, à *Bajazete* tamen, quoniam *Dervisius* ex *Torlacorum* secta ad illum interficiendum acinacem, quem sub filtro gestabat, strinxerat, proscripti sunt, vid. uberius de iis *Camerar. Hor. Sub. Cent.* 2. c. 75. & *Leuncl. Pand. Turc.* n. CLXXI. Neque hîc omittendi veniunt.

ex

ex Anabaptistarum Sectâ Adamite, sic dicti, quod in
 star Adami, cum esset in statu integritatis, nudi, nec
 tamen concupiscentias carnis sentientes incedant. Qui
 recipi volunt in hoc consortium vestibus exutis ipso-
 rum congregationi, priusquam recipiantur ab ipsis,
 sistuntur, & per integrum horæ spatium in media mu-
 lierum & virginum turba nudi obambulare & circum-
 stantes adspicere debent. Si præterlapsa est hora, &
 bona conscientia se nullam pruriginem carnis sensis-
 se affirmare possunt, in consortium Adamitarum co-
 optantur, si *D. Hier. Kromayero in Scrutin, Religionum.*
Disp. V. p. 1. de Catabaptistarum & Quakerorum Religione.
tb. 35. add. Access. ad Scrut. Relig. p. 345. fides habenda est:
 Minus enim his correspondere videntur, quæ *Cluverus*
 de iisdem *sub anno C. 1419. p. m. 649. a.* refert, quòd promi-
 scuo concubitu usi fuerint, ac proinde à Zisca gladio
 deleti sint: quò etiam faciunt, quæ ex *Mich. Restio L. 2.*
de Ungar. gestis & Bonfin. Dec. 3. lib. 2. refert *Joh. Botsaccus*
in Moral. Gedanens. verbo: Adamite p. 9. a. ex quibus &
 concludere licet, quòd non solum conventui primum
 sistendi, sed & jam in ordinem recepti vestes rejece-
 rint. Præterea quoque Adamitas post peracta sacra
 sua in impuros mixtim amplexus ivisse, prouti quis
 que libidine in aliquam exarserat, ac in hanc dixerat,
 Spiritus meus concaluit, cui Princeps, ite, respondet,
 & replete terram, testantur *ex Schlüsselburgii catalogo*
Hereticorum D. Cramer. in Arbore Hereticorum 4. Class. c. 12.
p. 176. it. Kornmann. in Monte Ven. c. 59. p. 330. & seqq.

§. IX. Antequam hoc membrum primum
 Disput. meæ concludam, præterire non possum, quòd
 in Processu contra Sagas & Veneficos, certas ob cau-
 las

fas rei quoad partes quasdam corporis, imò & interdum omninò denudari jubeantur. Ita seriò svadet Bodinus de Daemon. L. 4. c. 1. ut vestes exuantur, crines tondeantur reis priusquam torqueantur: Da soll man ihnen die Kleider verändern/ und alles Haar mit einander abschneiden: Quoniam plerumque aliquid, veluti pulverem, chartas signatas &c. secum in vestibus, vel etiam sub crinibus occultatum gestare solent, cujus ope, & Dæmonis beneficio dolores sistuntur, & corpora ipsorum insensibilia efficiuntur, ut ad veritatem confitendam nullatenus adigi possint; *conf. Faber in Cod. Sabaud. Lib. 9. T. 21. Def. 3.* unde DD. indicium Magiæ habent patientiam tormentorum (cujus meminit Ulpianus in l. 1, §. 23. ff. de quest. ibi: *plerique patientia s. duritie ita contemnunt tormenta, ut exprimi veritas nullo modo possit*) imprimis verò quoties sub quæstione dormire deprehenduntur sagæ, indicium facinoris esse statuit Bodinus d. l. *Damboud. Prax. crim. cap. 37. n. 21.* Hyppol. de Marsil. in *Pract. crim. §. nunc videndum. n. 52.* *conf. quoque uberius C. Crusius de indiciis delictorum. P. 2. cap. 32. num. 28. seqq.* Similiter interdum Magiæ delati eò fine denudantur, ut appareant notulæ, corpori fortè à Satanâ inustæ, quibus quasi signati sunt: Solent quippe ut plurimum habere signum seu vestigium plantæ leporinæ, omnisque prorsus eò in loco sensus expertes esse, ut quamvis acus ad ossa usque adigatur, tamen saga vel venefica nullum omninò sentiat dolorem, nec sangvis inde ullus profluat; Quales notulæ repertæ (plerumque autem sub labiis, brachiis, &c. aut juxta pudenda latentes) indicium facinoris magici facere judicantur, secundum Doctores. *vid. C. Crusius d. l.*

d. l. n. 40. & ab eod. citati. it. Carpz. Prax. Crim. P. 1. qv. 48. n. 51. cui tamen contradicit *Oldefop contra Carpz. Tr. 2. Decad. 3. qu. 10. p. 289.* & rationes suas ex *Pauli Zachie Quaestionibus Medico-Legalibus, L. 7. t. 4. Q. 1. n. 5. seq. late deducit*; Quas quidem meum non est componere lites: addi quoque poterit *Hildebrand. in Theurg. p. 211. & p. 257.* Spectat huc etiam *indicium aquae frigidae, die Wasser-Probe*/ quando foeminae ob magiam famosae nudae, ac exutis vestibus, colligatis pedibus manibusque, ita ut ad dextram pes sinister, ad sinistram vero pes dexter revinctus sit, & sic nullo modo corpus movere queant, aquae frigidae injiciuntur, ut quae tum supernatant, nec immerguntur, magiae convictae; illae autem, quas aqua in fundum abripit, infontes habeantur. Cui indicio quantum tribuendum sit, adhucdum multos inter controvertitur, quorum rationes omnes pro & contra hic examinare merito supersedeo, cum & a proposito me longe devium, & Dissertationem meam ultra molem destinatam crescere faceret. Ponderatis interim iis, quae in utramque partem afferi solent, illa mihi ententia tutior videtur, quae probam hanc aquaticam vix sine superstitionis praesumptione, & Deum tentandi proposito fieri, nec eventum sine scrupulo esse posse statuit, cum certum sit & controversiae expertis, rationem illius dari solidam omnino non posse, praeterquam quod mulierculas nonnullas aquae injectas supernatare acciderit, quae deinceps revera fontes repertae sunt: Quod tamen ipsum arduum minime aut sufficiens videtur, ut iudicem ad iudicium tale experiendum impellere debeat; siquidem dubium remanet, annon multae etiam innocentes, quas vel absconditum aliquod physicum, aut im-



perceptibile Dei iudicium, quo fortean temeritas iudicis plectatur, supra aquam tenet, hoc pacto poenae subjectae sint, & nihil impediat, quò minus permissu Dei Diabolus creaturas suas, quarum maleficà operâ diutius uti desiderat, etiam possit sinere mergi, ut eò ipso falso infimulari videantur, ipsique adhuc ad tempus servire queant, *vid. latè Antonius Pratorius in seinem gründlichen Bericht von der Zauberrey cap. 9. p. 112. ubi rationes plurimas examinat & ad easdem respondet. it. C. Crusius de indiciis delictorum p. 2. cap. 32. n. 78. & multis seqq.* Memini hinc Consiliarium quendam juvenem Serenissimi alicujus superstitiosis omnibus (quorum ut & ipsorum veneficiorum causa alias territorium ipsius pessimè apud vicinos & alios audiebat) summo zelo infesti non levem incurrisse reprehensionem, quod hoc & similia aliqua media fanatica in Processu inquisitorio adhibere non supersederit. Superest tamen hodie- num adhuc nonnullibi proba illa, nec defunt, qui eam defendant, qui videri possunt *apud Crusium d. P. 2. cap. 32. n. 78. & seqq. nec illam rejicit Jac. Martini Dissert. de Magic. Act. §. 31. 32.* Pro amplexâ autem sententiâ præter multos alios gaudeo mihi adstipulantem habere longâ rerum tam publicarum quam civilium experientiâ clarum *Theodor. Reinkingium pie memorie, meum ex lineâ maternâ Avum, in Respons. de Process. contra Sagas null. instit. quest. 3. num. 499. & seqq. it. J. C. Becman. in Medit. Polit. cap. XIV. n. 4. Berlich. in Pract. qv. concl. 4. P. 4. n. 178. Videri quoque poterit der Hölische Proteus Erasmi Francisci XVI. p. 108. & seqq. it. Spencerus de LLbus Hebr. Ritualibus lib. 3. cap. 2. Dissert. 1. Sect. 3. p. m. 24. & seq.* Non solum autem in Processu Criminali, dictis casibus &

47

& articulis denudari solent Inquisiti, sed etiam quandoque Confessi & Convicti supplicio plectendi vel in totum, vel ex parte solum; Sic omnibus vestibus olim spoliabantur in crucem agendi, teste *Artemidoro Lib. I. cap. 58.* prout & de Christo Salvatore nostro id certum faciunt *Matthaus c. XXVII, 35. Marcus c. XV, 24. Lucas XXII, 34. & Johannes XIX, 23, 24.* ex his enim constat, eum post flagellationem recepisse suas vestes, & denuo exuisse in loco supplicii, cum milites sibi illas diviserint ad implendum vaticinium Davidicum, quod habetur in *Psalmo XXII*; Sed an planè nudus, an verò iis in partibus solum, quas natura texit, tectus in cruce pependit Jesus, controversia est (leviter & obiter hic tangenda) inter Sacrae historiae Scrutatores: Sanè nobis (cum *Ambrosio Lib. X, in Luc. & in Psalm. 43. Athanasio in Serm. de cruce & pass. Bonaventurâ, Francisco Soario tom. 2. d. 36. sect. 4.*) cum consuetudine receptum fuerit apud Romanos & alias Gentes, quibus crucifixio usurpata, nudos & absque ullo velamento crucifigere, probabile videtur, nec Christum aliter fuisse crucifixum. Nullus enim Judæorum vel carnificum tam benigno in eum erat animo, ut eum aliquo beneficio vel solatio impertiendum putaret, & amicis, quorum non pauci indignitatem spectabant, nullus patebat accessus. Quid verò mirum, si is, qui se vermem & non hominem, opprobrium & abjectionem plebis (*Psal. XXII.*) nominavit, nudus quoque in cruce pependit, ut hac suâ nuditate nostram nuditatem convestiret, suâque ignominia nostros reatus expiaret, præsertim cum multa perpessus sit hominum causa, quæ divinam Majestatem dedecere videri potuissent, nisi

nisi constaret, Deum omnis decentiæ & honestatis auctorem, nihil indecenter agere. Ut adeo nec nuditatis indecentia, nec picturæ Christum vel linteo præinctum, vel omnino vestitum in cruce repræsentantes, nec denique velamentale Aquisgrani una cum reliquis sacratis reliquiis ostensum, contrarium svadere sufficiant, cum in primis picturarum velatarum vel vestitarum origines & pias (licet archetypum non sequentes) intentiones supra præoccupaverimus tradere; Pontificiorum autem reliquias Sanctorum incertitudinis, & quandoque etiam fictitiæ traditionis certissima *τεκμήρια* nemo non noverit. Cui accedit quod *Gretserus* ipse, (*de Cruce Lib. I. c. 22 pag. m. 76. in fin.*) referat, se ex fide dignis intellexisse, Augustæ Vindelicorum extare imaginem crucifixi, nudam penitus, absque ullo velo, similemque Landishutæ in Bavariâ inferiore, spectari. Ipsâ porro denudatione publica, pœnam etiam (obscœnam satis) Artaxerxem Memnonem in Arbacem quendam Medum statuisse, ex *Plutarchi Artaxerx. p. 1018.* perspicimus. Hic enim Arbaces postquam in conflictu ad Cyrum transfugerat, moxq; ipso peremto ad Regios se receperat, coactus est ab Artaxerxe nudus per integrum diem scortum equitantis modo humeris impositum circumferre, quod factum, ceu Rege tanto indignum, meritò taxat *Matthie in Theatr. Histor. pag. m. 281.* Nostro tempore vix in ullius supplicii executione Reus totaliter denudatur, dissectionem in quatuor partes (*das Biertheilen*) & fumigationem seu adustulationem (*das Schneichen*) rarissimum pœnæ genus, si excipias. Partialis verò denudatio contingit illis, qui capite plectuntur, virgis cæduntur, & stigmatem in tergo notantur, prout cuius ex vulgo notum est.

SECTIO

SECTIO II.

Agens de Nuditate in specie, quoad
singula Corporis Membra.

Et quidem

CAP. I.

De Nuditate Capitis.

SUMMARI.

§. I. In Capite Nuditas consideratur vel ratione (α) Faciei, qua apud plerasque gentes in maribus ingenui animi, in fœminis verò impudicitia signum habetur.

§. II. (β) Ratione Verticis, ubi specialiter de Calvitio, probrosâ plerumque.

§. III. Corrigitur verò Nuditas Capitis tegumento, partim Na-

turali, e. g. Capillitio, quod maximo decori reputatum apud plerasque (non omnes tamen) nationes, prout & barbae prolixitas:

§. IV. Partim vero tegumento ascititio seu artificiali, eoque vel sœto & vulgari;

§. V. Vel singulari & solenni, quale est corona Majestatica summi Principis, & corolla Virginalis.

§. I.



Consideratâ nuditate in genere, ea nunc quoad singula hominis membra spectanda obvenit: Hic verò prærogativam sibi vindicat Caput, nobilissima sine dubio pars hominis, cæterorumque membrorum gubernatrix, cogitationum receptaculum non solum & officina, sed virtute lingvæ interpretetiam & internuncius, in quo omnes sensus conglomerantur, cum in aliis membris tactus

G

so-

solnmmodo resideat, quodque potissimum ratione faciei
 animi & affectuum indicem Deus atque natura consti-
 tuerunt, homines invicem admirantur, amant, & præ
 reliquis corporis partibus magni faciunt, *vid. Gerb. in*
Gen. cap. II. p. m. 45. ibi : Quare Moses potissimum faciei me-
minit. Adeo, ut in vultu præcipue delitescant & ex
 ejus ductibus de indole ac inclinatione hominis non
 absurdas faciant conjecturas Physiognomi, *vid. Balduin.*
de Casibus consc. lib. 3. cap. 6. cas. 6. Habet enim vultus
 mysticos quosdam characteres animam ipsam expri-
 mentes, quorum alphabetum quicumque calleat in-
 genium ipsum ex fronte legerit, prouti loquitur *T. b.*
Browne Part. 2. Relig. Medici Sect. 2. ubi quoque non hominum
santum, sed plantarum etiam vegetabilium Phytognomiam
seu Physiognomiam quandam statuit. Hinc & leges Ci-
 viles in arguendo suspicionis crimine Physiognomiam
 non negligunt, sed illum magis suspectum habent, qui
 præsertim facie deformis latentem nequitiae indolem
 tacitis indiciis exprimit; *vid. Franc. Vales. Philos. Sacr. cap.*
32. quem laudat Ph. Camerarius Centur. 2. Horar. Subcis. cap.
3. add. Id. Cent. 1. c. 57. & Carpzov. Prax. Crim. part. 3. qu.
120. n. 79. & prolixè C. Crusius de Indiciis delict. part. 1. cap.
22. cum observat. J. Andr. Crusii ibid. Huc quoque spectat
L. 17. C. de pœn. faciem, quæ ad similitudinem pulchri-
tudinis cœlestis est figurata, inscriptione seu stigmatè,
maculari vetans, vid. Brunnem. ad eand. n. 2. add. tamen
& Dn. Simon. in Not. ad Hug. Grot. lib. 2. cap. 20. §. 4. n. 1.
 Proinde pleræque gentes, præsertim mares facie aper-
 ta incedere, & in publicum prodire consueverunt; Fœ-
 minæ tamen more quarundam regionum faciem vela-
 re solent, adeo, ut quæ secus fecerint, impudentiæ no-
 tam



tam incurrant, ac maritos ad Zelotypiæ furorem moveant. In Arabia foeminae non caput solum, sed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato contentae sint dimidia frui luce & in publico etiam procedentes uno oculo dirigere gressus, *vid. Tertullianus de Veland. Virgin. cap. 17. & de Mesopotamiae foeminis Hieronymus cap. III. Esaiæ.* Apud Turcas quoque foeminae, praesertim nobiliores, summa industriâ faciem operiunt, ita, ut nulla ejus pars, praeter oculos, liberè pateat, nec domi etiam praeterquam à maritis aut liberis vultum spectari sinunt, *vid. Lutherus ad Gen. XXXVIII, 16. Münster. Cosmograph. lib. 6. cap. 141. p. m. 1443. add. de Braminibus in Chormandel Barthrouberri von Wandel der Menschen cap. 6.* Nec minus Zelotypantes Itali (prouti olim Romani, ex quibus C. Sulpitius Galba uxorem suam dimississe scribitur, quod eam apertò capite foris versatam cognoverat, teste *Val. Max. lib. 6. cap. 3. add. Tacitus lib. 13. Ann. cap. 45.*) plurimis in locis adhuc dum filias aut uxores suas, quò aliorum conspectum effugiant, summâ curâ adigunt, ut ibidem hodiernum velamenta, sive exuvias capitis more veteri disposita quotidie videri obtingat. Sicuti hoc praepriis apud Graecos obtinuerat, ut inde Apostolus *I. ad Corinth. cap. II.* quod, cum labentem Corinthiorum disciplinam erigere cuperet, totum eò impendit, ut modestiam decoram in communi Ecclesiae cœtu sanciret, non immeritò mulieri exuviam, quò non caput solum, sed & facies tota tecta erat & velata, (*vid. J. Gotthofred. spec. Diss. de Veland. Mulier. de q. Exuvia capitis n. ult. circ. finem.*) commendat, additis ibidem rationibus, praesertim quod mulier viri gloria fit ex eo & propter eum condita, ideoq; debere habere vela-

men in capite, ceu inferiorem modis omnibus. Etenim & in gentilibus, & ex his *Plutarcho in Questionibus Romanis* *qv. 10.* caput velatum animi demissionis, pudoris proinde & submissionis signum est. Ac ideo flammeo velabantur foeminae maritandae, ut se noverint semper maritis suis subditas esse, *sec. Isidorum offie Eccles. cap. 9. vid. Rosinus Lib. V. Antiquit. Rom. cap. 35. circ. fin. add. Erasmi Francisci Schaubühne 2. Theils erste Versammlung. p. m. 72. obiter de more Lapporum p. 121. & seqq. add. quoque Mart. Geier. de luctu Ebraeorum cap. XI. §. 1. Eo & Abimelech alluisse videtur Gen. XX. v. 16. cum ad Sararam dixit: se Abrahamo dedisse mille argenteos, idque futurum ei pro velamento seu in velamen oculorum &c. Sic & Rebecca ad conspectum Isaaci statim se pallio operuit, *Gen. XXIV. v. 65. vid. Gothofred. d. l. p. m. 23. & Gerhard. ad d. cap. 20. Gen. circ. fin. qv. 5. p. m. 417. it. ad cap. 24. d. l. qv. 3. p. m. 486.* Inde *Tertullianus*, cum praetextu contrariae consuetudinis, contra quam *Apostolus* praeciperat, non modo nuptae & virgines, quae ad nuptias virorum adspirabant, sed & virgines Dei, quae Christo nupserant, praesertim in Ecclesiis, caput non velarent, ut antea Graece, sic quoque Latine *lib. de veland. Virgin.* ostendit, virgines velari oportere. Nimiò autem zelo rigorosoque amore pudicitiae, qui ex multis ejus libris relucet, agitated bonus ille Pater hoc in puncto videtur, in tota Ecclesia hunc morem necessario observari debere haud occultè requirens, cum tamen apud plurimas gentes recepta consuetudo aliud svadeat, juxta quam in detectione faciei mulieres nil quicquam inhonesti committunt, sed ingenuam potius castitatem & innocentiam serenâ fronte ostendere creduntur, prouti in*

in quibusdam Germaniæ locis virgines non tantum facie resecta, sed & passis capillis incedunt. Interim tamen non culpandæ sunt fœminæ, si pudicitia gratiâ faciem velis sive peplis tegant, eaque ratione oculos lascivorum à se avertant, præsertim ad sacra convenientes, ubi omnis occasio libidinum aut lasciviæ vitanda est, quemadmodum eam ob causam Romani Sacrificantes omnibus Diis, excepto Saturno, soliti sunt caput velare, ne se inter religionem vagis aliquid offerret obtutibus, ut notavit *Servius in lib. 3. Æneid. referente Tiraquello in not. ad caq. 17. lib. 4. Genial. Dier. Alexandri ab Alex. add. Barnab. Briffon. lib. 1. Formular. it. Job. Kirckmajerus de Funer. Rom. lib. 11. cap. 16. conf. Balduinus de Cas. Consc. cap. 1. cas. 4.* Huc referre forsan poterimus Ecclesiarum nostrarum consuetudinem, quâ precaturi viri pileo suam contingere solent faciem, fœminæ autem in templis assidentes eandem ad genua declinare, non solum ob reverentiam, sed & quod eâ ratione minus turbari soleat. devotio per occurstantia sensibus objecta externa, & gestus etiam in vultu inter orandum suborti minus videri & irrideri queant à profanis, *vid. D. Mart. Geierus de luctu Ebr. cap. XI. §. 5.* Magis mirandus est mos ille Turcarum, quò nulli omnino, imò nec ipsis Provinciarum Præfectis, quos *Bachas* vocant, excepto illorum Pontifice Maximo vel Musti, & Magnis Veziriis sive Generalissimis, qui tamen demissis oculis & ad pedes procumbentes res suas referre debent, licet Imperatoris oculos intueri, nisi tanquam læsæ Majestatis reus vitam exponere velit, *vid. J. L. von Franckenberg (sub cuius nomine latet Dn. Bernhard. Zech, Consummatissimus Jctus, & Senenissimi Ensiseri Consiliarius gravissimus,*



vid. Scherz- und Ernsthafter/ Vernünftiger und Einfältiger Gedanken 1. Theils 8. Monat p. 189. & seqq.)
 Schaubühne der Ist Regierenden Welt 2. Theils 2. Fürstellung. §. 9. p. 455. Maltò adhuc singularius est, quod de Azenagis incolis Regni Seurgæ refert *Aloystus Cadamustus in Navigat. sua cap. 10.* ipsas pudere oris æquè ut inquinum, idque circumferre tectum, ut rem pudendam, argumento, quod velut sentina quæpiam halitum tetrum semper emittat: nec detegere nisi sumendi cibi gratia, quod quidem benè quadraret Oscis, (populo Campaniæ) qui mirâ sceditate oris laborare dicuntur, ut inde oscena vel obscena verba dicantur, vid. *Bugnot. in not. ad lib. 4. Carcl. Argen. cap. 7.* Simile, & de Azenagis dictum refert *Leo Africanus lib. 1.* cui isti homines dicuntur Zenagares. Inde occasio fabulæ sumta, quâ veteres Astomos, gentem sine ore, quique solò odore nutriantur in Africa mediterranea describunt, vid. *Becmanni Hist. Orb. Terr. Geograph. & Civ. cap. 9. Sect. 2. §. 8. Hist. Gergr.* Cæterum, ut ad propositum redeam, in luctu, mœrore aut infortuniò caput obnubi solere sat notum est, vid. *D. Mart. Geier. de luctu Ebraeor. cap. XI. §. 3. & multis seqq. it. Kirchmann, de Funer. Rom. lib. 2. cap. 16. pr.* Quomodo in foro Romano reis jam capitali suppliciò addictis caput obvelatum fuerit, apud *Dempsterum in Faralip. ad Rosin. lib. 8. p. 1417.* videri poterit.

§. II. Spectemus nunc *nuditatem* ipsius summæ partis capitis sui *verticis*, quoniam de ea, quæ se notabilia obtulerunt non indigna nostâ relatione duxi. Et sanè hic magis placet caput, quod natura capillis operuit ornavitque, quam deformis depilati verticis glabri-

55

brities, quam faceret in Phœbo vellicavit *Martialis*
Epigr. lib. 12.

*Hædina tibi pelle contegenti
Nuda tempora verticemque calva
Festive tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit caput esse calceatum.*

Multos quidem naturæ imbecillitas hoc capitis vitio deformat, ex qua etiam causa fitus ille & pruina senectutis canities nascitur, quando aut ex longævitate liquor vitalis exsiccat, aut vitiosus humor ex copioso exuberans frigore capillum tingit. Quam si calvitiei causam in Elifæo protervientes Bethelitarum pueri scivissent, fortè sibi à mordacibus in sanctissimum Prophetam dicteris temperassent. Neque probro sibi duxit sui capitis phalacras & calvitia Vespasianus Imperator, qui, cum cometes apparuisset, quò mors portendi Principis videbatur, eludens cœli dirum ostentum, non se ait illo terreri, sed Parthorum Regem, ἐκεῖνός γδ κομῶν, ἐγὼ δὲ Φαλακρός εἰμι, *Dion.* In alios, quibus ex incontinentia hoc vitium obvenit, falsè *Cicero* jocatur, quod calvities olere malitiam, & clamitare calliditatem videatur, in qua ne boni quidem viri pilus reperiri posset, *Pro Qu. R. add. Salmas. in Epist. de Caesar. Viror. p. 237.* Talis in Tiberio calvities fuit, cujus in ludibrium *Sejanus* Calvorum populo spectaculum exhibuit, *Sveton. in Tiber. Dio lib. 58.* A quo ne pudendi quidem capitis dedecore *Caligula* degeneravit, capillo raro, hirsutus cætera. Quod tam tulit indignè ut capram nominare, aut ex editiore ædium parte oculos in prætereuntem deflectere, capitale fuerit. *Sveton. in Calig. Eodem* ἀναφαλαντίας vitio deformis fuit *Otto* Imperator & *Dom-*
mi-

mitianus, *Sveton. in Domit. cap. 18.* quem ob singularem immanitatem ac inhumanam truculentiam:

—— *Calvum dixit sua Roma Nerouem, Aufon.*

Ejusdem ob calvitiam cognominis fuit Carolus II. Imp. nisi quod naturâ mitior nullam Neronianæ sævitiae appellationem receperit, prouti testantur sui temporis Historici, qui *vid. in C. Adam. Ruperti Observ. in Synops. Besoldi Min. cap. 17. p. m. 637.* Non ponerem in hoc catalogo Julium Cæsarem, nisi calvati libido atque incontinentia publicis militum jocos in Gallicano triumpho jactata fuisset: *Uxores vestras servate cives: Vobis mæchum adduximus calvum, Sveton. in Ejus vita.* Nec immeritò calvities apud Romanos urbanorum diceris erat obnoxia, nam & mimi apud eosdem introducebantur calvi, de ridiculi gratia, & in palliatis lenones & parasiti etiam calvi & derasi. Inde nihil mirum, quod capillatos Principes videamus in nummis, qui aliàs calvitio deformes & ridiculi fierent. Sic dictum jam Cæsarem observant Antiquarii nostri plerumque in nummis velatum, prominente supra frontem laurea, non tam ut significarent Pontificem Maximum & triumphalem, quam ut calvitiam ejus absconderent. *vid. Gorlaeus in Nummis gentis Juliae* Cæterum, an huic calvorum societati jungendus sit Sacratissimarum LLgum nostrarum conditor Justinianus in ambiguo est, prouti videre licet apud *C. A. Rupertum in Observ. ad Synops. Besold. Min. cap. XV. p. 524. & seqq.* Calvitii, calvorumque mentio *Calva Veneris* mihi memoriam refricat, quæ dicato templo culta apud Romanos fuit: non ad significandum calvitii luxuriæque societatem, sed quia obsidentibus Capitolium Gallis implicandis funibus ad tor-
men-

mentorū usum matronæ capillos sibi resciderant, *vid. Rosinus lib. 2. Ant. Rom. cap. X. p. 297. d.*

§. III. Uti verò calvities despectui obnoxia esse solet, ita capilli non muliebri tantum ornamentum præbent, sed & gravium virorum, de quo rogatus Agesilaus Rex; cur affectaret, *quoniam, inquit, ex omnino ornatu hic pulchrior est venustiorque & sumptus minimi. Stob. serm. 36.* Ipsa S. Scriptura Absolonem temporis sui pulcherrimum commendatura, capillitii meminit, ferè præprimis, *II. Sam. XIV. vers. 25. 26.* Laudatur insuper Scipio, quod esset ipsi

Martia frons, facilesq; coma, nec ponè retroque Casaries brevior. Silius Ital.

De Cæsarie Christi & Apostolorum *vid. Salmasius cit. à Mart. Geiero de luctu Ebr. cap. 8. §. 1. pag. 195.* Pompejum quoque ac Catonem verenda ipsis etiam Regibus coma commendabat; Cujus etiam summa apud Germanos, Gallos, Parthos, aliosque fortis animi viros cura fuit, qui crinem sine ullo artificio decore quætiebant, non aliter, quam jubam generosa animalia. Apud veteres Francos subditis in subjectionis signum cæsi erant capilli, Principibus prolixi ad insigne dominatus. Hi à puero antequam adirent regna, quam plurimum poterant alebant eos, ita ut de sincipite penderent capilli in humeros passim, occipitio verò ad utrumque latus essent crines implexi, pexi, uncti & odoramento delibuti, ut hodiè signa eorum existant in antiquis monumentis Ecclesiarum Galliæ S. Dionysii, Francisci & Germani Præfatis; Uberius quoque de Jure Regalis capillitii, præsertim ex *Hottomanno* discurret *Camer. Hor. Subcis. cap. 36.* Notabile etiam est, Chineses, posteaquam Imperium Tartarorum subierunt, jussos

H fu-



fuisse in subjectionis signum, ac ne à Tartaris discernen-
 tur, comā, quam aliās prolixā alere solent, refecare, à quo
 tam alieni hæctenus fuere, ut quidvis subire maluerin,
 quam legi huic se adstringere, v. *Becm. Hist. Orb. Terr. Geogr.*
& Civ. P. 2. cap. XI. §. 3. Servi enim olim quoque tonde-
 bantur, vid. *Demsterns ad Rosin. lib. X. pag. 1704. 1717. 1709.*
 In Germania fuerunt & populi, in quibus æquē popu-
 lares ac Principes longā cæsarie utebantur, & præcipuē
 Svevi obliquatum substrictumque nodo capillum inge-
 nuitatis notam esse voluerunt. Neque enim ut ama-
 rent aut amarentur, sed bella adituri & hostium oculis se
 ornabant, vid. *Tacitus de Mor. Germ. cap. 38. conf. Kirch-*
majer. ad Eund. p. 400. qui eum rectè explicare nititur. Se-
 cus ac delicatuli nonnulli nostri temporis, quos nati-
 vum capitis honorem in turpem effœminatamque mol-
 litiem convertere minus pudet, quibus dicam scribit
Neubus, in Theatr. Ingen. Hum. lib. 1. cap. 4. p. 88. & seqq. Si-
 militer ut de Radirobane *Barclajus lib. 2. Argen. cap. 13. quod*
capillitium promiserit in humeros pretiosius delibutum, quam
militem decebat &c. De capillo adscititio quoque, von Pe-
 ruquet / notabilia habet *D. Geier. de Luctu Ebr. cap. 8. §. 1.*
p. 193. & seqq. & refer eò Ovid. 1. Amor. Eleg. 14. Germa-
 norum exemplo Lycurgus comam nutrire cives suos in-
 svefecit, quoniam pulchros redderet decentiores, defor-
 mes verò formidabiles, *Plutarchus in vita Lycurgi.* Nec
 capillorum tantum ea dignitas fuit, sed & barbæ, ete-
 nim in ejus prolixitate & mento crinibus ornato, non
 minor, quam in decore comæ, gravitas & decentia quæ-
 sita est. Sic priscae memoriæ Philosophi barbitio spe-
 ctabilis erant & pallio. Generosâ barbâ gravitatem auxe-
 rant exquiritium Senatu venerabiles senes, quorum in cu-
 ruli

ruli sedentium conspectu victor Gallus, tanquam ob-
 ctis Deorum vultibus, obstupuit: baculi etiam ictu
 perstrictus, cum barbaram manum promisso capillitio
 admoveret. Hoc habitu pastores Arcadas & Auruncos
 patres & intonsos sanctissimæ severitatis Cethegos, Scæ-
 volas, Curios, Catones, Manlios Vetustas depinxit,
 in quorum hispidâ comâ & demissa barbâ virtus ipsa ha-
 bitare putabatur. Hirta propendentis mystacis coma
 antiquitus virilis animi signum erat, nullum ornandi
 oblectandique corporis admittentis curam: Quare *Dio-
 genes* cuidam barbam abradenti; *Numquid naturam*, in-
 quit, *accusas, quod te virum fecerit, non mulierem*. Sic
 quoque Longobardos à promissioribus alendis barbis,
 tanquam ornatu faciei ac honestamento viri, meruisse
 nomen plerique putant, *vid. Kirchmajer. ad Tacit. de Mor.
 Germ. p. m. 356. & 406.* cui adstipulatur *Helvicus in Synops.
 Hist. Univ. p. m. 101. add. Becm. Hist. Orb. Terr. part. 1. cap. 9.
 sect. 1. p. 200. §. 8.* quod tamen non concedit *J. Fr. Rhetius
 lib. 1. Instit. Jur. Publ. T. 2. §. 19.* Hos enim Saxones, licet
 cum aliis Germanis comam, barbam tamen prolixam
 non aluisse asserens: cum aliàs *Otto M. Wittichindo l. 2.
 Ann. in fin.* contra morem Saxonum barbam aluisse dici
 non potuisset. Nec Francos barbam aluisse, sed my-
 stacem saltem statuit §. 20, *ibid.* ut adeo, quod apud *Tur-
 pinum* de prolixitate barbæ *Caroli M.* habetur, pro figmen-
 to habendum putet, imprimis quod *Freberus de Statura
 Caroli M. ex Welfero*, occasione monetæ antiquissimæ
 referat, puro mento *Carolus* se gestasse initio Regi-
 minis sui, nec barbam pavisse; Et huc quoque adducit
 auctoritatem *Eginhardi*, qui staturam & habitum corpo-
 ris, faciei ac vultus ejus curatè describit, barbæ tamen

mentionem non facit, *add. omnino* Monatliche Unterredungen Einiger guten Freunde anni 1690. p. 809. & seqq. Quicquid sit, nos non ulterius de barba Imperatoris, von des Kaysers Bahrte / disputabimus, hoc potius circa dignitatem barbæ notantes, quod obligatio ejus sanctissimum & indissolubile pignus & fœdus habita sit, *vid. Cam. Hor. Subcis. Cent. 2. c. 40. circ. fin.* adeò ut & per barbam jurari solitum. De Ottone scribitur, quod postquam Baso Episcopo Arleatensi in vigilia nativitatis Christi alapam dedisset, hic ultrò se vindicaturum injuriam per barbam juraverit, *vid. Wolff. Lect. Memor. Tom. 1, Cent. X. p. 258.* Apud Mahometanos in hodiernum usque diem in testimonio dicendo magis credi feliciter barbato, quàm imberbi, referunt, *vid. uberius C. Crusius de Indiciis delictor. Part. 2. cap. 16. n. 16. 19. & seqq.* Cæterùm, ut nuditatem menti & verticis ratione crinium conjungam, nonnullæ gentes capillos planè detondunt, aut exiguam solummodò eorum partem in summo verticis relinqvunt, prouti olim nonnullæ, *vid. Job. Spencerus de LLbus Hebr. Rit. lib. 2. cap. 12. Sect. 1. & nunc Turcæ & Persæ, item Poloni, qui simili modo caput radunt, ea, uti quidam referunt, ratione, ut, quoniam plurimùm zepas & allium in cipis adhibent, vapores inde nascentes exitum habere possint.* Veram autem & indissimulatam ejus causam dedit Rex Casimirus, qui cum ordinem Benedictinum Monachorum suscepisset, eâ conditione Regni gubernaculaprehendit, ut imposteriorum Poloni omnes capillos ad exemplum Monachorum abscinderent, nec longius crescere sinerent, *vid. F. L. von Franckenberg Schaubühne 3ten Theils siebende Fürstellung S. 6.* Apud Cattos, veterem Germaniæ

niæ populū, in consensum vertit, ut primum adole-
 verint crinem barbamque summittere, nec, nisi hoste
 cæsō, exuere votivum obligatumque virtuti oris habi-
 tum, teste Tacitō de M. G. cap. 31. Apud illos itaque or-
 natus menti capitisque fuit nuditas & fortitudinis infi-
 gne, vid. Kirchmajer. ad Tac. d. l. p. m. 355. & seqq. Pari fe-
 rē modō, uti apud Gallanos, gentem vicinam Habessi-
 niæ, juvenibus comam præscindere non permissum,
 priusquam vel hostem in bello, vel sævam aliquam fe-
 ram occiderint, magnō ad audaciam incitamento, ut
 hoc velut conspicuo signō, ignavi a fortibus discer-
 nantur, vid. Dn. J. Ludolfi Hist. Æthiopic. lib. I. cap. XVI. n. 19.
 Nec apud Græcos, præsertim temporibus posterioribus,
 in usu fuit capillos nutrire. Inde ab Apostolo I. Corinth.
 XI. 14. ipsa natura docere dicitur, viro turpe esse
 comam alere, cum tamen id naturæ minimè repu-
 gnet, & multos apud populos usitatum fit: Naturali-
 ter nempe in eo loco, ut & alibi interdum, positum est
 pro eo, quod recepti passim moris est, vid. Hug. Grot. l. 2.
 cap. XII. §. 26. n. 2. Videmus etenim & apud plurimas
 gentes tonsuram barbæ & capillorum pœnæ locō adhi-
 bitam fuisse, indeque insigniorem præ se tulisse in-
 famiæ notam. Sic Esaiæ III, 17. Deus minatur, se verti-
 cem filiarum Zion calvam effecturum, sublato omni
 earum ornamentō. Adulteræ quoque capillorum ton-
 surâ & vestium abscissione punitæ, vid. Camer. Hor. Sub-
 cis. Cent. I. cap. 36. Apud Germanos antiquos adulteram
 accisis crinibus nudatam coram propinquis expellebat
 domo maritus, testante Tacito de M. G. c. XIX. add. El.
 Schedius de DIs Germ. Syng. 2. cap. 14. Jure quoque Codi-
 cis Justin. qui in crimine adulterii nuncii fuerunt, & ad-



ministri verberati & tonsi in perpetuum relegantur. *l. ult. ad L. Jul. de Adult.* Apud Majores nostros rasura five tonsura barbæ & comarum summæ ignominia & turpitudinis nota erat, *Guilhelm. Paradis. in Chronol. Gall. Sabaudia lib. 2. cap. 155;* Quomodo Ethnicarum tœminarum maritos Nehemias, percutiendo eos, capillosque evellendo se plexisse fatetur, *Neb. XIII, 25. vid. Geier. de Luctu Ebr. cap. VIII. §. 4. p. 204. & seq.* Graves justæ Davidis iræ pœnas dederunt Ammonitæ, quod Legatis ejus in summam ignominiam vestes & barbas præcidi curassent, *II. Reg. X.* Quemadmodum Henricus Auceps, injuriam Legatis suis per barbæ & comarum rasionem, fustiumque cæsiōnem illatam, in pacis violatoribus, qui Hartisbergi propè Goslarium commorabantur, clade severissimâ ultus est, *Rein. Reiveccius in Chron. Slavon. II. cap. 37.* Imò inter nosmet ipsos more & jure hodiernò is, qui alteri in despectum barbam deraferit, actione injuriarum tenetur, *arg. Constit. Frideric. de pace tenenda, quæ hodiè 2. Feud. 27. relata exstat §. si quis aliquem. conf. Wilhelm. Antonii de Rescript. Morat. concl. 68. n. 33. seqq.* Ita memini coërcendis mendicis præpositum civitatis alicujus non ignobilis Germaniæ inferioris, qui egregium & gravitate officii sui, ut putabat, dignum alebat mystacem, contra barbitonforem, qui barbam tali modo componere inscius, cum forficula candenti, quâ erigere debebat, ipsam adusserat, magnâ cum indignatione injuriarum egisse, accedente, quod ipse tonfor barbam jam adustam subito consiliò sapone, quamvis lubricè, adglutinans, ita ut ille in foro obambulans, cum mentum detergere vellet, simul & barbam detruserit, gravem hunc virum ludibrio; exposuerit. Apud Græ-

Græcos' usitata olim pœna stupri fuit, securi barbas publicè hujus flagitii convictis præcidere, atque ita illos ut infames dimittere. Hoc memorabili & lepida ex *Gvil. Paradiso* sumpta Historia confirmat *Camer. Hor. Subcis. cent. 2. cap. 40.* quâ pœnæ loco iuveni ferè imberbi ex aulicis Comitibus Sabaudiensis, Amadæi VI. hujus nominis, Constantinopoli publicè barbæ nascentis, vel potius lanuginis erumpentis pilos à tonsore præcisos refert, eò quod violenter compresserat nobilem virginem hospitis sui, patrì verò violatæ virginis post atrocem accusationem, hâc tonsa lanugine, nihil enim amplius petierat, satisfactum esse. Exstat etiam Caroli M. Constitutio talis: *Adjutores conspirationum singuli eorum alter ab altero flagellentur, & nares sibi invicem præcidant: Ubi verò nihil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur & capillos sibi invicem detondeant.* Eòdem modò in *Novella Constit. 35. Leonis* constituitur, ut ii, qui suppetias in crimine raptus attulerint, naso mutilentur & cute tenus tondeantur, *vid. Camer. cent. 3. cap. 96.* At tamen non semper pœnæ & ignominia, sed & signum lugubre erat crinium tonsura, prouti & laceratio aut evulsio, *vid. Job. I. 20. Jerem. XVI. 6. Mich. I. 16. & Kirchmann, de Funer. Rom. lib. II. cap. XII. Mart. Geier. de Luctu Ebr. c. VIII. §. 3. Meursius de Funer. cap. XXVII. Morestellus de Pompa Ferali lib. II. cap. 32.* quod ab Ethnicis fiebat, ut plurimum ad placandos manes defuncti. Græcis in gravi luctu usitatum fuit, ut barbam reciderent, quod *Pentherium* nominabant. Quem & Ægyptii Sacerdotes morem usurpabant, quoties mortuo Apì imminentium calamitatum metu percellerentur. *vid. Polydor. Virg. lib. 4. cap. 8.* Quod Milesii etiam fecisse dicuntur

cuntur Sybari à Crotoniatis direptâ, *Herodot. lib. 2.* Similiter de Græcis refert *Plutarchus in Populicis*, morem apud illos obtinuisse, ut viri quidem in luctu comam alerent, mulieres verò eam tonderent, item *Svetonius in Caligula cap. 5.* narrat, quosdam Regulos, auditâ Germanici morte, uxorum suarum capita rasisse ad indicium maximi luctus. E diverso tamen *Terentius in palliata fabula, vid. Heautont. Act. II. Sc. III. & Phormio Act. I. Sc. IV.* non tonsam, sed promissam comam in muliere funebri agnoscit, quam in rem *vid. uberrimè Kirchmann. d. l. cap. 13.* Viri quoque interdum tonsos in luctu crines habebant, *vid. Esaiæ XVI, 2.* nec caput aut genæ solùm, sed & supercilia tonderi solita, ac magnò in luctu ipsos quoque equos & jumenta tondebant, *vid. Curtius lib. 10. cap. V. n. 17. It. Kirchmann. de Fun. Rom. d. lib. 2. cap. XIV.* Judæi etiam mortuis capillos solebant incidere, à quorum abscissione in damnatis abstinuisse notavit *Baronius ann. 34. & Chisletius in linteis Sepulchr. pag. 18.* quod maledictioni legis obnoxii essent, ideoque capite intonso sepultum esse Christum hinc inde concludunt, *vid. D. Geier. de Luctu Ebr. cap. V. §. 9.* Inde forsitan est, quod mali ominis locò habitum sit in somno videri sibi amputari vel amittere crines, *vid. Camer. Cent. 1. cap. 36. circa fin.* à tonsore verò per somnium tonderi pro lætitiæ signò acceptum, *vid. Artemidorus lib. 1. cap. 23. & Kirchmann. l. 2. cap. 14. pr.* Sed hæc conjectoribus somniorum, de quibus *vid. Dempsterus ad Rosin. lib. 2. cap. 2. p. 197. & seqq.* relinquimus, cum non ignoremus divinationem superstiosam per insomnia non tantum à Christianis damnari, sed & legibus Romanis prohiberi & puniri, *vid. l. 7. C. de malef. & matrem. add. Balduinus de Casib. Consc. lib.*

lib. III. cap. VI. Caf. 7. it. Gerhard. ad Gen. XL. p. m. 706. & seq. Philander von Sittenwaldt im 1. Theil 5. Satyrischen Gesichte in pr. Cœterum tonsuram crinium quod attinet, ea insuper nonnullas apud gentes studio munditiei adhibetur (de mulieribus Turcicis vid. C. Arnolds Anmerkungen ad Busbeqv. Epist. 3. p. m. 888.) quomodo apud nos certis temporibus nostros tonsoribus committere solemus crines atque barbas. Ita Joseph ad Pharaonem è carcere ducendus prius radebatur, acceptis simul vestimentis aliis, Gen. XLI. 14. vid. Gerhard. ibid. p. m. 713. pr. Idemque facere Mephibosethum consuevisse certis temporibus apertè colligitur ex II. Sam. XIX. 24. vid. plura apud Geier. de luctu Ebr. c. III. §. 4. Hunc barbam radendi morem primus apud Græcos introduxisse fertur Alexander M. qui cum Dario congressurus acie, Parmenioni injunxit, ut radi Macedonum menta curaret, ne innexis barbæ manibus hostilem injuriam paterentur, Plutarchus in Reg. apoph. Hoc impedimentum in comis Arabes quoque Abantes & Mysios animadvertisse, testatur Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. 3. cap. 7. & lib. 5. cap. 18. add. Camer. Hor. Subcis. Cent. 1. cap. 36. p. 167. & seqq. Quò fortè respexit Carolus M. in privilegio, quod Frisionibus Romæ concessit, ut possent abituri militatum esse circumtonsi ad summitatem aurium, aurô in eorum paludamento undecunque splendentes, & per hoc valerent libertatem sibi collatam ostendere, quod privilegium integrum recenset Ludov. Gvicciardinus in Descript. Belgii, add. Camer. Cent. 2. cap. 40. Apud Romanos duravit in Ticinum ad quintum urbis sæculum promittendæ barbæ consuetudo, cum juvenus delicatior tonsoribus è Sicilia adductis mentum caput-
I que

que radendum permetteret, *Plut. lib. 7. cap. 59. Ovidius*
ll. Fast. 30. add. Dempsterus ad Rosini lib. X. cap. 29. p. 1709. In
 Germania usum comarum & barbarum prolixarum,
 plurimi opinantur in desuetudinem abiisse primum,
 cum Philippus Bonus Dux Burgundiæ circa ann. 1460.
 longo incognitoque implicatus morbo, ei pellendo in-
 ter varia remedia à Medicis juberetur, ut comam, quam
 tum summa cura viri proceres alebant, poneret. Quum
 enim animadverteret se propter novitatem rei à suis
 familiaribus aliisque se invisentibus derideri, edictum
 proposuit, quo aulicis & nobilibus sui imperii omnibus,
 quemadmodum fecisset, caput radi jubebat, parentibus
 Bruxellæ eò die quingentis; cæteris ut idem facerent
 operâ Petri Vasquenbaccii, Viri nobilis ad hanc rem de-
 lecti, coactis, ita ut Bruxellæ cæterisque in urbibus ac
 oppidis nobiles omnes rasi, magnò vulgi cum risu con-
 spicerentur. Hæc res tum temporis insolita paucos
 post annos, non solum apud Belgas & Gallos, sed per
 universam ferè Europam invaluit, *vid. Camer. Cent. 1.*
cap. 36. p. 168. & seqq. add. Id. Cent. 2. c. 2. & quæ ex Cranzio af-
ferunt. Cent. 3. c. 96. p. 359. & seqq. Deniq; alii capillos ponebant
 ex religione. Ita Romani capillos suos alicui Deorum
 volebant, *vid. Dempsterus ad Rosini lib. X. p. 1078. Kornmann,*
de Jure Virgin. cap. 76. Athenis Ephebi, Theseo autore
 primam barbam Apollini dedicabant; cujus rei apud *Pin-*
darum, Æschilum, Festum aliosque sunt testimonia. Apud
 Judæos Nazaræis (de cujus tamen nominis homonymia
 & differentia videri poterit *Disp. Theol. de Nazarenis,*
quæ sub Præs. Maximè Rev. Dn. Beieri non ita pridem ven-
tilata est) coma intonsa votum significavit Deo religio-
 sè nuncupatum, vel perpetuum & per totum vitæ tem-
 pus

pus, uti in Simfone *Judic. XIII. 5.* & Samuele I. *Sam. I. 11.*
 vel temporarium, quoad tempus se obstrinxerant, quo
 completo pilos detonsos in sacrifici ignem conjiciebant,
 ut hoc modo ejus perfectionem testarentur, *Num. VI. add.*
J. Botfacc. in Moral. Gedanens. verb. Nazarei pag. m. 693. b.
 Quorsum à nonnullis refertur factum Pauli Cenchreis
 comam deponentis, *Act. XVIII. 18.* quanquam aliam
 planè ejusdem intentionem fuisse ex *Sam. Petito lib. I. var.*
lect. cap. 3. p. 18. referat *B. Geier. de luctu Ebr. cap. VIII. §. 4.*
 ubi & de loco *Act. XXI. 24.* Ad hoc tonsuræ genus per-
 tinebit & illa ratio Levitarum Deo consecrandorum,
Num. VIII. 7. it. Deut. XXI. 12. ubi mulieris captivæ for-
 mosæ, si Israëlitæ fieri deberet uxor, caput prius radi
 jubetur. Annumerandi his erunt Monachi, qui ut li-
 bertatem videantur adepti, aut secularibus negotiis
 haudquaquam amplius implexi, cum alii comam ad
 delitias alerent, *vid. Camer. Cent. 2. cap. XL. pr. suas in*
formam sphaeræ sive coronæ, spineæ Christi memo-
riam refricaturi, vid. Jesuita J. Gretserus de S. Cruce lib. I.
cap. XI. p. 47. radunt, ut suum cum mundo factum di-
vortium testentur, vid. c. 7. XII. qu. 1. Plures quoque
 ea de causa Constitutiones Pontificum Juri Canonico
 insertæ sunt, *vid. præter alias Dist. 23. cap. 21. 22. 32. &*
c. 6. XIX. qu. 3. c. 6. & 10. XX. qu. 1. c. 1. Ibid. qu. 2. Et hu-
 jus ritus initium ducunt à Divo Aniceto Pontifice:
In cujus vita Anastasius Bibliothecarius: Hic constituit ut
Clerus comam non nutriret secundum præceptum Apostoli, vid.
Dempsterus ad Rosini lib. X. p. 1710. Cæterum cum Theo-
 logi nostri Monachatum, prouti nunc quidem in Pa-
 patu viget, cum Monachalibus coronatorum capitum
 locustis & monstrofi habitus larvis formidabilibus, tam
 diversis:

Quam variis volucres diffundunt aëra pennis,
 Quam variis pisces percurrunt aquora pinnis,
 Quam vario in pratis effulgent lumine flores,
 Quas inter triplici Phrygiæ diademate mitram,
 Et geminum attollit Rex Septimontius Ensem:
 Succedunt Mystæ Patres, queis Infula rasum
 Obvelat vittata caput: tenet ardua curvum
 Dextra Pedum, lucent Bethali stigmatæ frontes.

(Conf. *Neub. lib. 2. Theatr. Ingen. Hum. cap. 3. p. 62. & seq.*)
 meritò rejiciant (vid. *Fr. Balduinus de Casibus Consc. lib. II. c. VIII. cas. 14. & lib. IV. c. IV. cas. 7. it. Gerhard. in Loco de Conjugio n. 505. p. 801. & seqq.*) capita hæc, nequissima ut plurimum, cautius intacta relinquo. vid. interim *Geier. de Luctu Ebr. cap. VIII. §. 4.* ubi hanc rasuram idololatris Gentilium Sacerdotibus, quorum meminit *Baruch. VI. 30.* præcipue usu venisse commemorat. *Lev. autem XXI. v. 5.* (ad quem locum vid. uberrimè *J. Spencerus de LLbus Hebr. Rit. lib. II. c. XII. sect. 1. & seqr. it. c. XXV. præsertim sect. 3.*) expressè prohibitam. add. *Neub. d. I. lib. 1. c. 4. p. 108.* Imò talem tonsuram olim, tanquam Hæreticorum, fuisse prohibitam in Hisp. in Concilio Toletano testatur *Hottinger. lib. 1 hist. Eccles. pag. 436.*

§. IV. Vidimus jam prolixè satis, & quidem magis Philologicè quàm Juridicè, caput operimento, præsertim naturali, crinibus nempe, vel tectum, vel denudatum, adeoque nunc de eo, quod manibus hominum, & moribus huic addere placuit, perspiciendum erit; ubi tamen vix evitare poterò, quin aliquoties iterum in observationes Philologicas seu Historicas dilaber, cum eas sparsim mixtas L. B. non adeò ingratas fore confidam. Viros capitibus olim apertis incessisse,
 inter

inter alios ex *Plutarcho in ποικιλοῖς probl. XIV.* observare licet, quem morem à priscis Græcis ad Romanos transiisse *Eustathius Homeri interpres* disertim dicit. Caput ad eò Romani veteres peculiari tegumento planè non tangebant, sed vel aperto capite, vel veste tectò incedebant. Unde antiquæ statuæ & nummi ænei nudis capitibus videntur. Nec apud *Homerum* ulla vel pilei vel causiæ mentio. Facitque huc & calvitium Cæsaris apud *Svetonium*, de quo jam §. qui eò nomine Jus laureæ perpetuò gestandæ oblatum libens accepit, vid. *Bonifac. hist. Ludicr. lib. 4. c. 20.* & plura apud *Antiquitatis Promum Condum J. Lipsium de Amphit. cap. XIX. & seqq.* Deinceps qui manumissi & libertate donati erant rasò capiti pileum imponebant, libertatis insigne. Unde proverbium natum: *Ad pileum vocare*, i. e. ad libertatem vocare. In cuius proverbii explicatione *Erasmus in Chiliadibus* scribit, videri pileum priscis insigne fuisse spectatæ virtutis, ut inde fluxerit mos, ut qui Magistri, Doctorisque titulò decorantur, pileum accipiant, add. *Rosinus lib. 1. Antiquit. Rom. cap. 20. p. 174. lit. C.* Ubi mors Neronis pervulgata, plebs gaudens pileata totâ urbe discurrebat, redditam sibi libertatem significatura, *Sveton. in Ner.* Hinc & M. Bruti statuis pileolus addebatur, cum pugiunculis duobus, ipsius maximè operâ restitutæ libertatis argumento. Quò exemplò Sacri Fœderis Belgæ aureum eodem simulacro nummum subscripserunt, populo ad pileum vocato, vid. *Ed. Neub. Theatr. ingen. hum. lib. 2. cap. 4.* De more Judæorum integendo capite vid. *Mart. Geierus de luctu Ebr. cap. XI. §. 2. & 3. it. §. 5. & 7.* Incidenter quoque hic notandum venit privilegium Cardinalibus concessum, quod obviam quem-

piam & ad supplicium ducendum ab omni pœna pos-
 sint liberare capello suo super ejus caput posito, *vid Paris. de Puteo in tract. Syndic. in verb. pœna, vers. an si primo, cit. ab Henr. Kornmann. de Jure Virgin. cap. 55.* Successit
 deinde in tegumentis capitum insignis differentia, ut,
 cum pilei Hispanis, Italis, Gallis, Germanis &c. placeant;
 Europæis Septentrionalibus & quibusdam Orientalibus
 mitræ; Turcis, Persis, Mauris Tulipanta arriserint,
 sed cum discrimine; Turcæ nempe laneum simplex,
 Persæ lineum cum plicis, Mauri cum parte fasciæ ejus
 à capite pendula elegerunt, *vid. de hisce Gabr. Sionita de
 Mor. Oriental. c. XI. de Tulipantis Persarum Olearius in Itin.
 Pers. lib. 5. cap. 2. p. 582. it. Herbert. Itinerar. p. 122. cit. à
 Becm. in hist. orb. terr. Geogr. & Civ. P. I. c. 9. sect. 4. §. 5.*
 De Samojedibus refertur, quod se totos pellibus insu-
 ant, assutis simul mitris unius fermè ulnæ longitudi-
 ne, vel etiam ob frigus caput quoque togæ subdant;
 eoque occasionem dederint fingendi homines oculos in
 pectore positos habentes, *vid. Monatliche Unterredun-
 gen Einiger guten Freunde anni 1690. p. 388. & seqq.
 add. Kirchmajer. ad Taciti Germ. cap. XVII. p. 256. & seqq.*
 Inductus hinc inde apud plerosque populos (Turcæ e-
 nim, de quibus inter alios videri poterit *Busbeqv. Epist. 1.
 edit. Germ. p. 22.* aliæque gentes aliis gestibus reveren-
 tiam suam contestantur) mos, amicos & superiores et-
 iam apertô capite & detractô pileô vel mitrâ salutandi
 & honorandi, (prouti etiam Romanos operto Deos,
 aperto autem ac detectô capite homines salutasse refert
Beierlink. theatr. hum. lit. S. fol. 68.) quem respectum ar-
 duè quisque, præsertim superior, sibi asserere solet, ita
 ut sæpius in congressibus non minus momenti in hac
 ce-

ceremonia, quam in præcedentiis, quærat. Hispaniæ Grandes pro insigni privilegio & libertate (quæ ne quidem filio aut fratri Regis competit) habent, ut Rege præsentē iis caput tegere liceat, *vid. ex Ant. St. Angl. de Jure ac Privileg. Parium, Beckmannus Notit. Dign. Illustr. Dissert. VII. cap. 1. pag. 195* In Anglia nemini in anti-camera Regis tectō capite morari licet, *vid. Zeileri Itiner. M. Brit. cap. II. pag. 77.* Nec hoc inter Principes & personas publicas tantum observatur, sed privati etiam hoc honoris genus à se invicem tantō zelō efflagitant, ut infensissimis sæpè inimicitiis, & in Academiis præsertim, ubi Studiosi imprimis antiquiores à novioribus, alicubi etiam à vilioribus, hanc reverentiam sibi vindicant, duellis quamplurimis & pugnis occasionem præbuerit, ut proinde non insubidè alicubi mos ille salutandi inter Studiosos planè sublatus sit, quamvis non negari queat, multos quoque illō more abuti, denegatō etiam viris gravioribus hoc reverentiæ & civilitatis genere. Solent autem plerique iis in locis, ubi talis salutatio maximè usu venit (quod tamen in magnis emporiis aut populosis civitatibus, ob frequentiam hominum plerumque corporibus sese urgentium, non adeò attenditur) pro injuriâ non contemnenda reputare, si ab aliquo tectō capite consultō prætereantur. Prouti quoque subtractionem solitæ salutationis signum esse inimicitiarum ex *Gl. in c. cum Adrianus Dist. 93. it. Abb. in proem. Decret. n. 6. § in c. olim, ante fin. X. de Injur. notat Schneidew. ad §. ult. Inst. de Injur. n. 3 in fin.* Ac videri equidem posset actio injuriarum tali in casu competere ex axiomate generali, quod legibus suffulcit. *Illustr. Dn. Struv. S. I. C. Ex. 48. tb. 58. Injuriam committit etiam,*

etiam, quoties honor & reverentia debita non exhibeatur. Quod concedi omnino poterit de Magistratibus vel personis publicis, quibus honor ille & reverentia ratione officii competit; minimè verò obtinebit inter pares, aut invicem jurisdictionem nullam habentes, qui hoc ipsum *Jure suo*, seu quod perfectum dici solet, (vid. Puffend. de J. N. & G. lib. 1. cap. 7. §. 7. quò refer etiam, quæ habet Grot. lib. 1. c. 1. §. 7. & seqq. add. Henniges. in Observ. ibid. p. m. 63. & seqq. it. p. 79. Illustr. Dn. Struv. Exerc. I. tb. 18. it. Puffend. de Offic. Hom. & Civ. lib. 1. cap. 10. §. 4.) haud petere queunt. Quando enim alicui exhibentur ejusmodi actiones aut res, quæ ad Justitiam universalem spectant, quò etiam refert Dn. Puffend. d. l. §. 8. quando quis consiliò re aut operâ egenti subvenit, it. officia pietatis, *reverentia* &c. ii, quibus ista exhibere convenit, aptitudinem quidem sive ἀξίαν, non autem verum, & perfectum jus constitutum in re prætere valent, adeò, ut nec proinde hoc actione soleant postulari, & per Magistratum impetrari queat. Neque etiam hic actio injuriarum argumento earum legum concedenda veniet, in quibus (veluti l. 15. ff. de injur. §. 17. it. l. 39. ibid.) gestibus etiam injuria inferri perhibetur, cum illæ de gestibus seu nutibus insolitis & contumeliosis intelligendæ veniant, v. g. si quis in alterius despectum linguam exerat, oculos distorqueat, faciem deformet &c. vid. Carpzov. Prax. Crim. P. 2. qv. 99. n. 6. Alia cæteroquin quæstio afferri solet: Num ejusmodi salutationibus injuria illata abolentur, ac remissa judicetur? Quod non videtur Perezio in Cod. de Jurejur. n. 23. si ad animum fuerit revocata, aut de facto lis desuper instituta, nam istam salutationem magis fieri honestatis causâ in publi-



co ad evitandum vulgi rumore. Remissionem tamen præsumi putant *Carpzov. P. 4. constit. 46. def. 8. it. Schneidew. ad §. ult. Inst. de Injur. n. 3. circ. fin.* si injuriatus salutaverit motu proprio, non ob honestatem solum, quod tamen non de simplici salutatione, quæ fit denu- datione capitis, sed blandis insimul aut amicis verbis, intelligendum dixerim. Interim tamen plerumque partes adversæ injuriarum agentes solertim cavere so- lent, ne adversario salutationem vel simile aliquod ami- citiæ signum exhibeant.

§. V. Obveniunt præterea tegumenta capitum planè singularia & solemnia, veluti quibus verticibus fastigiatis in sublimi Majestatis folio Reges effulgent, de quorum diversitate apud gentes præcipuas *vid. Neub. Theatr. ingen. human. lib. 2. pag. 60. & seqq. it. ii, qui de insignibus Magistratum aliquid memoria prodiderunt, & in specie de Coronis & Coronatione Imperatoris Romani videri possunt §. Fr. Rbetii Instit. Jur. publ. lib. 1. T. 4. §. 42. & seqq. Matthia Theatr. hist. sub Maximil. I. p. 1020. & seq. Limneus §. publ. lib. 2. cap. 4. §. 15. & seq. cum addit. & ad Capit. Caroli V. p. 320. §. Th. Sprenger. Instit. Jur. publ. lib. 1. cap. 29. ubi etiam p. 172. de corona panis azymi Petri Re- gis Arragoniæ, & in genere de Coronis proluxus Becman- nus Notit. Dignit. Illustr. Dissert. 4. c. 3. qui & de corona Nimrodi agit ibid. Diss. 1. cap. 1. §. 2. add. Francisci Schaubühne 1. Theils 3te Versammlung. De Coronâ Papæ Roma- ni §. L. von Franckenberg Schaubühne der ist regieren- den Welt 4ter Theil pag. 13. & seq. & de pretiosissimâ mo- derni Regis Daniæ Christiani V. Id. in 3ten Theils 5ter Fürstell. §. 12. De coronâ frondeâ Philitræi Regis Per- gami *vid. Ruperti Observ. ad Synops. hist. Besoldi Min. cap. 12.**

K

pag.



pag. 241. De variis Romanorum coronis præmialibus, Rosinus lib. X. Antiqu. Rom. c. 27. it. Dempsterus ad ejusd. lib. 10. cap. 29. De coronis convivalibus Rosinus d. l. lib. V. cap. 28. p. 805. lit. F. add. Francisci Schaubühne 2. Theils 1. Jerusalem. pag. 10. & pag. 133. & seqq. quò refer etiam illud Sap. II. 8. De Coronis & Laureis Poëtarum, Rosinus lib. V. cap. 18. p. 750. & seqq. add. Monatliche Unterredungen Einiger guten Freunde / Octobr. 1689. p. 1013. De coronatione mortuorum, J. Kirchmann. de Funeribus Romanor. lib. X. cap. II. D. Geier. de Luctu Ebraeor. cap. V. §. 10. p. 60. it. cap. XVI. §. 18. it. Victimarum, Ovidius Metamorph. lib. X. v. 151. add. Natalis Comes Mytholog. lib. I. cap. X. De coronâ Christi spineâ affatim agit Jesuita Gretserus de Sanctâ Cruce lib. 1. Verum, cum in his, utpote quæ magis ad contrarium de Vestibus pertinent, operosius occupari meum non ferat institutum, illum tantummodo morem Germaniæ nostræ addam, quò virgines nupturæ, alicubi etiam juvenes, passis capillis, impositoque fertô, sive coronâ floribus redimitâ incedere solent, (quod non conceditur jam semel nuptis aut stupratis, vid. Carpz. part. 2. crim. qu. 70. n. 53. & seqq. & Jurispr. Consist. lib. III. def. 81. n. 3.) ad indigitandam procul dubio dignitatem illibatæ castitatis & pudoris virginalis, coronâ utique aureâ, imò ex gemmis & adamantibus non indigni, vid. merita laus castitatis apud Dn. Lohenstein in Arminio P. 1. l. 4. pag. 430. & seqq. Apud Romanos quoque virgines innuptæ, item matronæ honestæ quoque, à meretricibus aut maculatæ famæ mulieribus habitu capitis distinguebantur, quò refer illud Valerii Flacii lib. 8. Argonat:

Ultima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

conf. Dempsterus ad Rosini lib. 5. cap. 35. & hæ vittæ coronis
tor-

torfan non abfimiles erant : Vittas enim vinculum cri-
nium interpretatur *Demsterus d. l. p. 924. in fin.* quod ex
margaritis infimul & aurô constabat, *Aristo JC. apud Ulp.*
L. 25. D. de auro & arg. leg. §. 2. Vittæ margaritarum &
fibule ornamentorum magis sunt quam vestium. Martian.
Capella lib. 1. de Nupt. Mercur. & Philolog: Juno quoque ex-
purgatioris auri vena splendente addiderat crinibus sociale
vinculum. add. Rosinus d. l. p. 959. lit. C. Mitra verò, ca-
lyptræ species meretrici magis, quàm virginei capi-
tis erat tegumentum : Testatur hoc *Juvenalis Sat. 3.*
v. 66.

— pictâ lupa barbarâ mitrâ.
vid. Neuh. Theatr. ingen. human. lib. 2. p. 60. Neque ablu-
fisse olim videntur mores Hebræorum, quò refer, quæ
ex *Maimoinide* affert de coronis in sponforum capiti-
bus non tolerandis tempore Jejunii, *Geierus de Luctu*
Ebræor. cap. 20. §. 13. p. 378. Coronarum etiam de floribus
ad capita virginum apud veteres Christianos meminît
Casalius cap. 66. Rituum vet. Chr. p. 265. Moribus no-
stris virgines, præsertim ante festivitates nuptiales hoc
discrimen accuratè observant, ubi tamen sæpius spurcis-
simæ libidinis victimæ & germanæ sorores, *Quartillæ il-*
lius apud *Petronium*, quæ subinde Junonem suam iratam
exoptabat, si unquam se meminerit virginem fuisse,
hoc innocentia & castitatis decoramentum capitibus
gestant, vultu ac fronte non minus exporectâ & ad
infontem pudorem compositâ, ac si nullam unquam
turbidaverint aquam, recentibus ornatae floribus, vir-
ginalibus suis jam pridem tepidis, marcidis, ac conta-
befactis. Cum enim hæ semotis plerumque arbitris ac
testibus decerpantur, adeoque difficillimam requirant



probationem, quilibet autem eousque præsumatur innocens, quælibet virgo, donec probetur contrarium, *vid. Carpzov. P. 2. crim. qv. 68. n. 81. & seqq. it. Kornmann. de Jure Virgin. cap. VII.* adeò facile iis hoc denegari nequit. Justè autem hoc signum virginalè iis, quæ vi stupratæ sunt, si quidem violentia illa (quæ alias non facilè præsumenda, quoniam puellæ levem sæpè & simulatam reuentionem, secundum illud:

*Aspera si visa est rigidasq; imitata Sabinas,
Velle sed ex alto dissimulare puta.*

pro acerrimâ oppositione jactitant) satis probata fuerit, concedi autumant plurimi, *Fr. Pfeil. Cent. 2. cons. 147. Berlich. P. 5. concl. 41. n. 67. & quos citat Carpzov. d. P. 2. qv. 75. n. 78. & seqv.* Quoniam hæc actio turpis vi stupratæ imputari nequit, eo ipso, quod illi libertas agendi prorsus sit ablata; Pudicitia quoque ac virginitas, moraliter considerata, sit bonum animi, quod nullâ vi extrinsecâ, si animus benè communitus sit, eripi possit, *vid. Ziegl. ad Grot. lib. 2. cap. 1. §. 7. add. Dn. Simon Præsid. Acad. Diss. 2. de Justit. hom. circa sua membr. cap. 2. §. 5.* adeoque talis etiam ab omni pœna, Ecclesiastica quoque, sit immunis, *vid. Carpzov. Jurispr. Consist. lib. 3. t. 7. def. 90.* Aliter tamen & rectius responsum refert *Id. Carpz. d. P. 2. crim. qv. 75. n. 80. & seqq. & Jurispr. Consist. lib. 11. def. 37. n. 10. seqq.* stupratæ scilicet & per vim cognitæ virgini coronam aut fertum portare permittendum non esse, cum illud non tam virginitatis animi, quàm corporis, quâ eam spoliata fuisse nemo facilè inficias ibit, signum haberi debeat, id quod ex eo quoque patescit, quod nec viduæ, nec mulieres conjugatæ, quæ tamen etiam virginitatem animi colunt, *vid. Balduinus de Casibus Consc. lib.*

lib. 4. cap. 13. cas. 1. facultatem coronæ portandæ habeant, sed caput peplo tegere cogantur.

CAP. II.
DE
Nuditate Pectoris.

SUMMARI A.

§. I. Consuetudo denudandi pectoris apud aliquot gentes recepta refer-
tur :

§. II. Eademque in nostris fœmi-
nis, tanquam libidinis illicitum,
taxatur.

§. I.



Capite nunc ad pectus progredimur, quod majores nostri antiquissimi, viri pariter ac fœminæ, utpote magnam corporis partem nudi ac intecti, apertum gestabant; braccas enim solum breves angustasque, quibus ipsa pudenda corporis occulebant, induere locupletiores. Unde & de Francis lib. 2. Agathias scribit: *Nudi sunt pectora ac terga, ad lumbos usque, inde braccis, alii lineis, alii coreaccis tecti crura obtegunt.* Teste quoque Tacitò de Mor. Germ. cap. 17. fœminæ nudæ erant brachia ac laceratos, & proxima quoque pars pectoris patebat, atque adeò nec mamillæ velabantur, in quibus sedem alias ac fomentum quærere solet amor, ut & inde Hebræis ubera *אֵימָר*, & amores *אֵימָר* pari ferè nomine veniant. Nihilominus tamen severa illic matrimonia observabantur, mulieresque septâ pudicitiam agebant, & rara diva-

gata libido, teste eod. Tacito cap. 18. & 19. add. Kirchmajer. ad eund. p. 359. Consistere quippe invicem pudor nuditasque possunt, nequeunt verò vel centum claustris custodiri partes & affectus improbi. Jocosè quoque & acutè libertatem mamillarum defendit, easque ex captivitate & fasciis redimere conatur Mr. Dn. Pays dans ses Amitiés, Amours & Amourettes, livre 2. lettre 3. ad cujus verba non injucunda B. L. remitto. Minus benevolè autem ac Mr. Dn. Pays nudatas fœminarum mamillas aliquis pomis quibusdam amatoriiis petere optabat, non eâ quidem intentione, quod poma illarum viva sibi cuperet, aut ipsis etiam mala talia, quæ inter illicia & symbola Veneris esse ex Theocrit. in Idyll. 6. & interprete ibid. ut & Scholiaste Aristophanis, Virg. 3. Eclog. it. Ovid. l. X. Metamorph. v. 640. & seqv. notum est, offerre intenderit, sed quod pomis affatis & ferventibus nudatas illas partes in debitam levitatis castigationem affligere gestiret, qualia aliquando in nudata pro mercede prostibula emeritus aliquis senex copiosè congeffit, cujus historiam ridiculam videre licet apud Er. Francisci in der Neu aufgerichteten Liebes - Kammer Zugabe Epist. 29. pag. m. 1065.

§. II. Enim verò, ut seriò agam, non videntur scandalum evitare & illecebras libidinis fœminæ, quæ pectore multum nudato in publicum, ac præsertim in Ecclesiam prodeunt; Uti enim ante lapsum nuditas opprobrio minimè, sed decori potius erat, vid. Sect. I. §. I. ita in statu corrupto imperfectionem magis nostram, & turpitudinem vellicat, (ut hinc sit quod nuditas & detectio nuditatis ad maximam ignominiam & contumeliam illatam exprimendam in sacris literis usurpetur, vid. 2. SAM.



2. Sam. VI. 20. Jerem. XIII. 22. Apocalyps. III. 17. 18. XVI. 5. I
 XVII. v. 16. add. Spencerus de LLbus Hebr. Ritualibus lib. II.
 cap. VII. Sect. 2.) Movet siquidem appetitum vetiti, in quem
 toti naturâ corruptâ nitimur, Gen. VI, 5. pravamque li-
 bidinem stimulat, præfertim si membra amori ejusque
 titillationi potissimum dedita aspectui exponantur, quô
 mamillas meritò referri nemini in dubio erit. Huc
 etiam respicere videtur Salomo in Prov. cap. VII. 27. mu-
 lierem libidinosam & meretricio more ornatam (cujus
 meminerat) v. 10. his verbis describens: *cujus cor rete & la-
 queus est, & pro pectore fortè cor accipiens ad illa vi-
 detur reticula alludere, quibus impudicæ fœminæ pel-
 lucido sipario, velut reticulo, nuda ubera furtivè osten-
 dunt*, uti loquitur Engelgrav. ad h. l. Part. 2. Luc. Evangel.
 p. 331. b. Pari modò, quô ingeniosissimus ille Marchio
 Italus Gio. Domenico Mazza in tract. suo, cui titulus: *la Tra-
 gedia della Tirannide, ovvero La Jezzabella*, pulchritudinem
 fœminæ impudicæ depicturus Part. 1. Liv. 1. p. m. 56. hæc
 tandem verba addit: *La meraviglia si smarrisce al dibatter
 delle mamme quasi toccate dalle mani delicate di Cupido, per
 farne spruzzare il latte satiansi tenero pargoletto, accio
 gionga alla virilita de godimenti, mentre ormai ignude non
 arrosisce al publico esporle, dichiarandosi de Lupanari una Ve-
 nere, o pure portando l'impronta della sua crudeltà trà il fuo-
 co, ne presenta la neve. Tutta dedita a piacerei non cura
 la modestia inseparabile dal sesso femminile, si marita col
 vitio, accio si sappi che ha per dote la sfacciataggine, val-
 sente proportionato al suo grado. Et sanè pudorem su-
 um, in quo aliàs præcipua fœminarum virtus sita est,
 tali modo fœminæ multò magis prostituere videntur,
 quàm quo olim capite nudato incedebant, quod tamen*
 ni-



nihilominus magnam tum levitatem arguebat, & nunc usque multæ gentes sedulo averfantur, *vid. Cap. I. §. I. b. Sect.* prouti hoc prolixis argumentis à Theologo quodam in Tr. aliquo Germ. invectione: *Das von teutschen Geblütte und Fransösischen Gemütthe leichtsinnige Frauenzimmer/ Classe 3. operosè deductum. add. Autor Deliciar. Biblic. im Januar. 1690. p. 53. & seqq.* Ut hinc inde & spurcissimus ipse Mahometus in Alcorano suo legem dederit, ut honestæ quæque fœminæ non solum faciem, sed cuncta etiam membra, quæ libidinem provocare possent, secundum mandatum Dei tegant, *vid. Anonymi Censura Alcorani p. 594.* Quapropter nec mulierculas nostras excusatas dare poterit allegatio antiquissimi Germaniæ moris, de quo supra dictum est: Respicendum quippe illud sæculum corrumpi nescium, & veterum attendendi animi, apud quos teste Tacito de M. Germ. cap. 19. in fin. plus boni mores valebant, quam alibi bonæ leges, quod tanè de ætate nostra asseri nequit, magis magisque quotidie prævalentibus vitiis, præsertim verò libidinis: Ac licet ambabus concedere velim, quod asserit *Reformatus ille Alstedius Theol. Casuist. cap. 19. pag. 379.* fœminas iis in regionibus, ubi mos invaluit, absque opprobrio detectas posse gestare mamillas; Fœminæ tamen nostræ talem consuetudinem non interruptam allegandam non habent, nec dissimulare queunt, eam non ita pridem à natione exterâ, & ne dum quidem ad honestas omnes deductam. Minimè tamen hinc inde omnes eò more utentes lascivas declamabo, cum contrarium evincat exemplum castissimæ fœminæ Hispanicæ, relatum ab *Engelgrau. Part. 1. Luc. Evang. pag. 234. b.* Solummodo hoc
pace

pace pulcherrimi sexus dixerim, melius & honestius hunc vestiendi modum abrogari, quam adhiberi, cum vix absque suspitione libidinis vel in personâ ita vestitâ gliscentis, vel in aliis movendæ esse possit. Legibus quoque Romanis inter indicia stupri refertur, si mulier levi & vago magis, quàm honesto, incedat amictu, *arg. l. 15. §. 13. ff. de injur.* Prouti enim animalium vestimenta certissimi naturæ eorum indices sunt, ita non insubide ex vestitu hominis qualitas præsumitur, *vid. Virg. Malvezzi Persec. David. p. m. 8. add. Menochius de Præsumt. l. 6. Præf. 80. n. 5. & Conf. 614. n. 16. Brunnem. ad d. l. 15. n. 7. & seq. Theodor. Colleg. Crim. cap. 6. aph. 4. n. 13. C. Crusius de Indiciis Delictorum Part. 2. cap. XI. n. 2. & seq.* Imò Claudia Vestalis virgo non aliam ob causam impudica credita fuit, quàm quod ornatus levioris studiosior esset, donec tandem hanc suspitionem miraculo elideret, *vid. Augustin. de Civ. Dei lib. 10. cap. 16. add. Sabell. lib. 2. it. Roiz. in Decis. Lituan. Dec. 3. n. 47.* Honestæ enim Romanorum sceminae ac matronæ non caput solum, ut ex §. 1. cap. 1. patet, sed mamillas quoque strophio, fasciisque mamillaribus sedulo velabant, iisque earum tumorem cohibebant & toros humerorum luxuriantes castigabant. *Ita Martialis lib. 2. Epigr.*

134.

*Fascia crescentes (luctantes) Domina compefce papillas,
Ut sit quod capiat nostra tegatq; manus.*

It. Qv. Catullus in Argonaut:

Nec tereti strophio lactantes vincit apapillas.

Ovidius de Remed. Amor. v. 337. seqq.

— — — — — *omne papilla
Pectus habent tumida fascia nulla tegat.*

L

Sive



Sive ut mavult *Heinsius in Not. ibid. liget.* Pectori quoque infra mamillas imposita erat *Ægis* cum capite *Gorgonis* in medio, validum ut putabatur alliciendi amoris præsidium, quod plectos amantium oculos ad considerationem certæ pernitiei deduceret, sicque petulantes *Juvenum* manus absterret, *vid. Neuhusii Theatr. Ingen. human. lib. 2. cap. 3. p. m. 58. & seqq. it. Rosinus lib. 5. cap. 35. & Dempsterus ibid. p. 928. & seqq.* (Quamquam hoc secus erat tempore luctus gravioris, ubi *fœminæ* mamillas sæpius in signum nimii mœroris nudabant, lacerabantque, *vid. Kirchmann, de Fun. Rom. lib. 2. cap. XI. Geier, de luctu Ebr. cap. XVI.* Benè quippe norant antiquiores tactum mamillarum libidinosum, ipsum actum venereum proximè post se trahere solere, ut proinde *fœmina*, quæ sibi mamillas tangi patitur meritò suspicionem stupri incurrat, indiciumque haud leve contra se præbeat, *Riminald. cons. 274. n. 9. add. C. Crusius de Indiciis Delict. Part. 2. cap. XI. n. 10. & omnino locus Ezech. cap. XXIII. v. 3. add. tamen & Vol 3. Dissp. Stryck. Dissp. 4. cap. 3. num. 10. seqq.* Laudandum proinde decretum Illustrissimæ *Reip. Venetæ* in *Senatu magno* anno 1648. d. 14. Jan. publicatum, nemini nisi publicis meretricibus permissum fore ingredi, ita nudas atque detectas cum anteriore ventrali & sine velo in capite, sub pœnâ quingentorum ducatorum, insimulque ut mariti earum, nisi hoc prohibuerint, omnes honores & dignitates amittant, prouti *Decretum* illud propriis verbis refertur *in cit. Tr. Germ. wieder die blossen Brüste! Class. 3. §. 37.* Quod discrimen quoque habitus *fœminarum honestarum & Courtisanarum* nostrò tempore *Romæ* observari edicto publico jussit *Papa Innocentius XI.* *add. cit. Tr.*

Tr. J. 35. d. Cl. 3. ubi refertur *Ordinatio novissima Ecclesiastica Ducatus Magdeburg.* qua foeminae in ejusmodi habitu Sacram Communionem accedere prohibentur. Similes constitutiones in quamplurimis bene ordinatis civitatibus spectare licet, quarum plures referre justè superfedeo. Illam addere lubet quaestionem à DD. in dubium vocatam: *An ex deprehensa nudatarum mammarum grossitie arguatur virginitatis amissio?* Quod equidem negandum videtur; cum tumoris illius mamillarum variae causae esse possint, quo & proprietates regionum quarundam, v. g. Wallachiae &c. haud parum facere videtur, *vid. Kornmann. de Jure Virgin. cap. 20.* Similiter ambigunt nonnulli, *an illibata censenda sit pudicitia virginis in cujus mamillis lac inventum?* Ubi optimè mihi sentire videntur, qui cum *Bocero de qq. & tort. cap. 3. num. 18.* hoc indiciis verisimilibus annumerant, habito insuper respectu ad tamam gravatae aliasque concurrentes circumstantias, *vid. Kornmann. d. l. cap. 19. C. Crusius de Indiciis Delictorum Part. 2. cap. XI. n. 13. Carpzov. Prax. Crim. Part. 3. qv. 122. n. 22. & seqq.* Tandem hinc memoriam subit divino cultu venerata *Ceres Mammosa*, à grandibus & portentosis mammis, cum quibus depingebatur, sic dicta, *Arnob. lib. 5. contr. gent. & 3. Rosinus lib. 2. cap. XI. p. 328. lit. f. & seq.* Prouti Græci quoque *μᾶστον* seu *mammofam* Deam vocarunt, cui alimoniae beneficium tribuerunt, *vid. Gerhard. in Gen. cap. 17. pr. pag. m. 352.* De *Iside multimammia*, quam simili ratione plurimis cum mammis formabant Ægyptii consulatur *Gaffarellus in Curiositatibus Inaudit.*

CAP. III.

DE

Nuditate Ventris & Pudendorum.

SUMMARI A.

§. I. Cum transitu ad has partes pudendas ostenditur illeso pudore de earum nuditate disquiri posse.

§. II. Est autem Denudatio illarum vel Extrajudicialis, vel Judicialis: Illaq; rursus vel libidinosa & frivola, adeoque culposa.

§. III. Vel necessaria & casualis, que demerito vacat.

§. IV. Judicialis fit (a) ob dubiam virginitatem, in imputatione tam infanticidii, quam despo-

rationis ante nuptiis ab alio passæ, (b) ad probandum corpus delicti in stupro violento virgini vel puero illato. (c) pro investiganda gravitate uteri. (d) ad fidem faciendam judici de impotentia conjugum controversâ. (e) prodignoscendo sexu in Hermaphroditis ad matrimonium adspirantibus. (f) ad examinandam lethalityatem vulnerum ventris & pudendorum.

§. I.



Una ratio dispositionis membrorum hominis, quam in Sect. hâc secundâ sequendam proposui, flagitat, ut ea, quæ circa denudationem ventris & illorum membrorum, quæ Pudendorum nomine venire solent, considerationem Juridicam vel Philologicam subeunt, expeditiori quo fieri potest modô percurram: Nec ipsorum me-
no-

nomen (*pu-dendorum* scil. it. *turpitudinis*, ' quâ appellatione veniunt *Levit, XIX. & XX. Gerb. loco Theolog. de conjug. p. m. 47.*) deterrere, aut pudorem ejus mihi incutere passus sum; cum ea, quæ huc pertinent benè absque ulla lasciviâ & considerari & considerata proponi posse autumem, ut proinde hæc & alia, quorum vestigia in Jure nostro reperire licet (uti deinceps deducetur) optimi JCti tractare non omiserint, cum & aures sæpè suas spurcissimarum rerum narrationibus absque sui contaminatione in Consistoriis aliisque Judiciis commodare soleant & debeant, sine hoc accuratam causæ cognitionem & decisionem vix unquam pertingentes. Lascivos verò omnes, sibi nimium sapientes, Curiosque simulantes, i. e. qui omnem castitatem in ore gerunt, vacuò corpore, procul hinc abesse cupio, illosque ut oculos à scripto illis indigno subito avertant, est quod obnixè rogo.

§. II. Verùm, ut ad rem accedam, membra hæcce (uti prolixius jam discussum *sect. I. §. I.*) vix ullis aliis ante lapsum dignitate cedebant, neque inpræsens aliquid in se pudendi habent, adeò ut nec DEUS T. O. M. sedem & characterem fœderis sui cum Abrahamo, circumcisionis nempè, in pudendis masculorum ponere indignum duxerit, cujus equidem rationes reddunt plurimas Viri docti, quæ videri possunt apud *Job. Spencerum de LLbus Hebr. Rit. lib. I. cap. 4. Sect. 3. & Gerbard. in Gen. cap. XVII. p. 360: de gentibus, qui circum-* *cisionem etiam in fœminis usurpârunt, vid. Dn. Jobus Ludolfus Histor. Æthiop. lib. III. cap. I. n. 38. seqq. & in Comment. ad cit. loc. Strabo lib. 17. it. Delic. Bibl. anni 1690. qv. 37. p. 966. & seqq.* Post corruptos autem motus naturæ & incli-

nationis humanæ à justo suo fine semper deviare an-
 nitentis, horum membrorum aspectus homines pluri-
 mos, ac præsertim eos, quibus & aliæ causæ extrinse-
 cæ tegumentorum sive vestium usum commendabant,
 pudere cœpit, idque non sine causa, cum pruriginem
 ad promiscuam venerem, (quæ ordinationi divinæ,
 & salutis publicæ, certitudinem familiarum summo-
 perè requirenti, obversari videbatur,) quàm maximè
 excitaret, quæ deinceps quoque eò magis metuenda,
 quò minus sueta apud nos est nuditas, ita comparato
 hominum ingenio, ut rarius visa & insolita magis sem-
 per movere & placere soleant. Dantur equidem ad-
 huc quædam gentes, penes quas obscenarum etiam
 corporis partium frequentata nuditas est, de quibus
Sect. 1. §. 6. imò inter quas fœmiuæ membra eorum,
 quos pro Sanctis & Sacerdotibus habent, tangere ma-
 nu inter sacra & religiosa ponunt, prouti videre licet
 apud *A. Delic. Bibl. anni 1690. qv. 5. p. 51.* Attamen uti o-
 lim Deus in Rep. sua Theocratica (*vid. Syrac. XVII. v. 15.*
& Cuneus de Rep. Hebr. lib. 1. cap. 1.) inhonestam denu-
 dationem summopere prohibere voluit, præsertim
 inter Sacra, (*quo refer Exod. XX, v. 26. addito Spencero de*
LLbus Hebr. Rit. lib. 2. cap. 7. item formulam illam loquen-
di Levit. XVIII. à generali turpitudine nuditatis petitam,
vid. Gerbard. in loco Theol. de Conjugio n. 258. & 268.) ita &
 nunc apud Gentes cultiores Christianique nominis, re-
 velatio horum membrorum turpissima habetur, ita ut
 hinc inde Japonenses inter media violenta Christianos
 ad idololatriam revocandi & hoc adhibuerint, quod vir-
 gines matronasque Religionem illorum amplectere,
 negantes nudas per civitates ambulare coëgerint, cujus
 rei

rei pudor plurimas ad Christianismum relinquendum induxit, *vid. E. Francisci Schaubühne 1. Theils 3. Versammlung. p. 512.* Nimirum apud personas honestas vel mentio horum membrorum lascivè & absque circumscriptione aliquâ factâ honestatem violat, nec dubito, quin foeminae honestae injuriarum actio concedi possit contra eum, qui turpiter hæcce apud ipsam denominat, per *l. 17. §. 21. ff. de Injur. add. §. 27. in fin.* non minus ac ipsum, qui membra virilia vel vulvas ad valvas vel fores alicujus depingit, DD. actione famosi libelli teneri judicant, *Paris. de Puteo in Tract. Syndic. verb. in. juria officialis.* Multo magis ipse, qui impudenter membrum pudendum ostendit, pro circumstantia loci, personarum &c. non solum injuriarum actionem, sed & pœnam pecuniariam, relegationis, fustigationis &c. incurrere potest. Sic juveni cuidam, qui in solennitate nuptiali genus aliquod vestimenti inusitati, membrumque virile repræsentans induerat eoque alios actus inhonestos confecerat, relegationem temporariam dictatam refert *Carpzov. Prax. Crim. Part. 3. qu. 33. n. 35.* In Hollandia exterum aliquem, forsitan non ignobilem, qui expositione pudendarum mercium suarum matronam aliquam ad contractum turpem ineundum sollicitaverat, virgis cæsum in carceribus ac relegatum fuisse meminit *Er. Francisci in der Zugabe der Neu aufgerichteten Liebes Kammer Epist. II. pag. m. 998. & seqq.* Hinc inde quoque Jcti aliqui tale factum, præsertim si in publico fiat, ne quidem in homine rationis exercitio gaudente præsumunt, sed potius inter signa delirii aut furoris referunt, si aliquis membrum virile in loco publico sine verecundia ostenderit, *Grammat. Consil.*

Sil. 16. n. 8. cit. C. Crusio de Indicis Delictor. Part. 2. c. 34. n. 16. Nec minus poena aliqua arbitraria severiori animadverti posse videtur in eos, qui, uti in locis aliquibus præsertim inferioris Germaniæ vulgo ac plebejis mos est, tempore quadragesimali (im Fasnacht) mulieres sibi obviam factas inhonesto joco interdum denudatis posterioribus virgis vel etiam herba aliqua pungente feriunt, cum non solum fœminis, quæ sæpius hunc jocum malè ferunt, haud levem injuriam infligant, sed scandalum etiam præbeant, vel ipsâ turpi hâc detectione, vel quod sanctissimas Christi plagas eò tempore ob peccata nostra toleratas deludere & in jocum convertere ab aliis videri possint. Scandalo autem in Republica pro virili obviandum est, *vid. cap. 2. X. de nov. oper. nuuciat. cap. X. v. pro gravi quoque X. de renunciat. cap. 4. X. de stat. Monach. cap. 3. X. de jure Patron. cap. 2. X. de præscript. add. de tollendis omninò Bachanalibus, & coërcendis severè perpetratis hoc tempore nequitiis, Carpzov. lib. 2. Jurisprud. Consist. Definit. 264. per tot. ibique n. 26. Rescript. Elect. Sax. add. Walther. Postilla Jurid. Dominic. Quinquagesim. §. XXCII.*

§. III. Quamvis autem tam ignominiosa habeatur membrum pudendorum detectio & nuditas, attamen cum ea in se turpis non sit, sed tantum propter circumstantias, quæ petuntur vel à libidine proximi, vel ejus dignitate, vel ab æstimatione propria, in qua unusquisque tueri se debet, uti jam dictum *sect. 1. §. 1. & seqq. add. Puffend. de J. N. & G. lib. 6. cap. 1. p. 802. & seqq.* utique & ob circumstantiarum diversitatem inter ipsas etiam gentes, ubi alias proscripita nuditas est, ea membra citra peccatum aliquando deteguntur, puta cum
me-

medicatrici manui sunt committenda; aut cum tem-
 pus, aut copiam rerum ad tegendum ea non concedit
 necessitas; (An autem in tali casu licitum sit furripere
 vestimenta? *vid. apud Dn. Simon. Praesid. Academ. Diss. V. de ablat. rei alien. in casu necess. lib. 4. p. m. 180. & 181. & refer eo Lancellott. IV. 6. cap. si quis 3. X. de furt. ibique Ungep. n. 4. & 5.*) aut cum infantes fasciis involvuntur, aut dicta membra in Anatomiis, ob utilitatem publicam, quæ inibi versatur, ostenduntur, *Berl. Part. 5. concl. 48. n. 25.* Scilicet in hisce casibus impudentiæ nota adesse definit, ideo, quod tunc ea membra patent absque proterviâ & ostentatione; adeo ut hinc fœminæ quoque honestæ in casu necessitatis se possint denudare coram viris, & ab iisdem genus medendi in partibus secretioribus admittere, imò ad hoc teneri videantur, si aliter vita conservari non possit, fecus ac sentit *Cl. Dn. Becm. in Lin. Doctr. Mor. cap. XV. n. 7. p. m. 376.* Nobis enim in vitam nostram, quæ est ipsum esse nostrum in tantum nihil juris competit, nec facultatem de ea disponendi habemus, fatente ipso *Becm. d. l. n. 2. it. Grot. lib. II. c. 17. §. 2. n. 1. ibique à Dn. Simon. additis locis parall.* ut potius ad ipsam conservandam pro possibili omnino obligati simus, *vide Dn. Simonem hanc opinionem, quam antea a versatum se fuisse fatetur, amplexum Praesid. Academ. Diss. 2. de Just. Hom. circ. sua Memb. cap. 1. §. 1. & seq.* Hinc nec eandem extremo aliquo periculo exponere, multo minus planè negligere possumus, ut imaginariam aliquam turpitudinem effugiamus; qualis & non alia in hoc facto fœminæ honestæ subest, prouti ipse quoque *Becmannus* hoc concedere deprehenditur. Nec pro eo facit ratio ex Diana adducta, quod nemo teneatur
 Mosim ad-

admittere curationem à quâ non minus abhorret, quam ab ipso morbo vel morte. Hoc enim non concedo, nisi de curatione illâ, quæ involvit turpitudinem moralem, aut malum aliquod verum malo illo fugiendo revera, non imaginariè, æquivalens aut gravius, quale hic subesse non reperio. Alias enim multo minus stare posset assertum illud, quo virum honestæ conditionis potius ostiatim panem petere debere magni nominis etiam Juri concludunt, quam fame perire, *argumento eorum, quæ habet D. Simon. P. 2. Præsid. Acad. Disp. V. de abl. rei alien. in casu necess. tb. X. p. 192.* Posset enim à stipe etiam aliquis magis abhorrere, quam ab ipsa morte, quam tamen neglectione flebilis hujus remedii sibi asciscere minimè debet. Interim tamen non diffiteor laudandas esse mulieres, quæ non nisi extremâ urgente necessitate ad tale medium refugiunt, nec minus primas semper partes, præsertim quoque in puerperio, deferendas esse obstetricibus & mulieribus peritis, *vid. D. Simon. d. l. l. 2. Disp. XV. de jure Obstetr. tb. 20. & 36. cum ibid. citatis.* Cæterum pro & contra, ut ajunt, disputant, an Franciscus Sfortia jure petierit Dorotheam, filiam Ludovici Mantuæ Ducis, filio Sfortiæ desponsatam à Medicis transmissis nudam conspici, ut de suspecta deformitate corporis certius constare posset? *vid. Franc. Aretin. Consil. 142. n. 11. dub. 4. Decius in c. præposuisti n. 3. X. de probat. it. Crusius de Indiciis delict. part. 2. cap. X. n. 9.* Sanè Clementina Caroli II. Regis Neapolitani filia, cum Proci missi a Rege Galliæ submissè rogarent, ut se nudam vel saltem per linteolum conspiciendam exhiberet, amicis hoc ipsum dissvadentibus respondit tali modò: Non amittam Regnum Galliæ pro isto linteolo, *Summont. lib. 3. Histor. Neapol.* Quicquid

quid autem sit ! majorem mihi laudem mereri videtur
 Comitissa illa, quæ ut subditis suis quos durius tracta-
 bat maritus, relaxationem onerum acquireret, cum
 ea solum illis conditio relicta esset, denudata per
 omnes partes urbis equitavit, *vid. Zeil. Itinerar. M. Brit.*
cap. VII. p. 280. Mirò quoque consilio sceminae Perficæ,
 cum ipsarum acies sub Cyro contra Medos Astyagis
 paulatim cederet, filiis atque maritis obviam se fece-
 runt, sublataque veste obscena corporis ostenden-
 tes rogarunt, num in uteros matrum vel uxorum
 velint refugere, quâ castigatione represæ in prælium
 redierunt & factâ impressione quos fugiebant fugere
 coegerunt, *vid. Justinus lib. I. cap. VI.* Imò Constantina
 uxor Henrici, jam annosa, ne videretur partum sup-
 posuisse in medio Panormitanæ Ecclesiæ vestibulo ta-
 bernaculum erigi curavit, ubi etiam spectante populo
 Fridericum II. enixa est, *Gothofred. in not. ad L. 1. §. 10.*
lit. P. de ventre inspiciend. Judicium autem de morali-
 tate horum actuum haud temerè proferri debet, præ-
 ponderante ferè utilitate publica, aut impetu certè ali-
 quò heroico. De nuditate verò Noachi non insubidè
 quoque quæri posset, quatenus eadem sancto huic
 Patriarchæ imputanda veniat; Scandalum siquidem
 haud exiguum ipsum detectione pudendorum in ebrie-
 tate commissâ filiis suis præbuisse disertim Scriptu-
 ra innuit, ac præsertim degener piissimi patris filius
 Chamus, cui primum nuditatem patris videre obtige-
 rat, non solum non eam aliorum aspectui subducere
 cogitavit, sed deridiculi potius gratia aliis indicavit,
 sicque cum familiâ suâ maledictionem sibi paternam
 contraxit, *vid. Gerbard. in Gen. IX. p. 249. & seqq.* quam-
 vis alii ipsum virilia patris manu veneficâ tetigisse,
 M 2 eum-

eumque sterilem effecisse in opinione sint, vid. G. Schedius in præfat. ad tr. filii Elia Schedii Posthumum de Dis Germanor. Nihilominus tamen haud adeo exprobranda videtur Noacho sua nuditas, quia, secundum sententiam S. Augustini, inopinanti & virium vini imperito ebrietas obrepfit, adeo ut ebrius quidem fuerit, non verò ebriosus, quæ distinctio ebrietatis Jctis quoque nostris non infrequens est, uti videre licet apud Carpæzov. Prax. Crim. P. 3. qv. 146. passim.

§. IV. Sed in viam! ne leges nostras omnino seponamus, quæ aliquoties detecta membra pudenda ab aliis inspicere & quidem judicialiter desiderant, tam mulierum quam virorum, licet non sine justa ac flagrante causa, cum alias mulierem denudare gravissima injuria sit, secundum Bald. in l. 13. C. de transact. Fit autem hæc denudatio (1.) quando dubium est de virginitate fœminæ & præsumptin fit contra fœminam solutam de infanticidio, ut vestigia stupri ac partus repèriantur. Ambrosius quidem lib. 6. Epist. 64. admodum increpat Sinagrium Veronensem Episcopum, qui virginis accusatæ stupri secreta genitalia inspicere jusserat, sed hoc ob Scandalum facinusque Episcopo indignum magis, quam omnino interdictum, inspicere mulierculam necessitate id exigente, à fœminis honestis, l. 1. ff. de vept. inspic. c. proposisti & c. causam Extr. de probat. perc. it. P. H. G. D. Caroli V. art. 35. & 36. add. Crusius de Indiciis Delict. Part. 2. cap. 12. n. 9. Attamen Judex hisce in rebus non debet properare antequam certa fundamenta suspicionis habeat, alias à patre vel cognatis puellæ domo possent expelli obstetrices, sicut & sine dubio Medici & Chirurgi, imò vel ipse Judex, si vel illos

adhiberi debent, utrumque sit, ut in loco

loco obstetricum, vel cum his simul mitteret, vel etiam ipse inspicere vellet puellam, *arg. pr. Inst. quib. mod. patr. pot. fin. l. fin. Cod. quand. tut. l. curat. esse def. l. 1. ff. de ventr. insp. conf. Oldekop. in Monstr. Just. Brunsv.* Interim, si Judex justas ob præsumptiones puellam hoc in casu inspici jubeat, dubium non est, quin puellam licet invitam tangere possint, quia hoc non solum oculis, verum etiam tactu percipitur. *c. in causam v. 6. sæpe manus fallit X. de Probat.* Nec obstat textus *l. 1. §. 10. ff. de ventr. insp.* cum de eo casu loquatur, quò probatio rei sine tactu potest haberi (atque hoc ex speciali ratione esse introductum, ne tactu læderetur partus, asserit *Alber. in l. Imperator. 2. n. 4. ff. de stat. homin. & ibi Angel. n. 4.*) Virginitas autem non solo visu, sed etiam tactu cognoscitur, num autem de ea ex fractura hymenæ, vel cruentatione linteorum judicari possit, dubitant plurimi hocque uti iudicium minus certum rejiciunt, *vid. Crusius de Indiciis Delict. Part. 2. cap. 10. n. 14. & seqq. J. C. Becm. Lineæ Doctr. Mor. cap. XI. §. 4. Th. Browne Part. 1. Relig. Medici Sect. 9. p. m. 37. it. Melchior. Sebizius de Notis Virginitatis, præsertim de loco Deut. XXII. 14. & seqq. p. m. 328. & seqq. it. p. 345. & seqq. add. Kornmann. de Jure Virg. cap. 7. 8. & seqq. it. cap. 19. & seqq.* Quò refero etiam morem illum hodiernis Judæis in probanda virginitate observatum, nasutisque illis oppidò dignum, de quo *vid. Monatliche Unterredungen Einiger Guther Freunde in Aug. 1689. p. 875.* Certius sanè violatæ pudicitie indicium depromunt gentes nonnullæ ad mare Rubrum habitantes, sceminis naturam consuentes, quoad naturæ exitus, saltem maneat, easque cum adoleverint confutas in matrimonium collocantes, ut sponsi prima cura sit conglutinatas atque coalitas puellæ oras ferro

interfcindere, ne fit ambigua inducendis uxoribus virginitas, vid. Petr. Bembus in *Hist. Venet. lib. 4. tit. Wolff Tom. 3. Lect. Memor. p. 561.* Plures probandæ virginitatis modos subinde usurpatos scienter, ne chartæ in immensum crescant, prætereo cum, de iis legi possint plura apud *Dn. Simon. Præs. Acad. P. 1. Disp. XV. de Jure Obstetr. tb. 12.* moribus verò & juribus nostris hac in re Medicis atque Obstetricibus fides adhibenda sit, *Id. tb. 10. § II.* Cæterum, cum sponsus ob violatam sponsæ virginitatem rescissionem matrimonii petere possit, non verò contra vid. *Illustr. Dn. Struv. Ex. 29. tb. 25. add. M. Schickardus Disp. 2. ad Instit. p. m. 122. § seq.* non indignè quæritur: Num ipse ad probandam sponsæ virginitatem illasam inspectionem ejus jure desiderare possit? Quod ipsi denegari vix posse videtur, si præsumptiones stupri probabili ratione nitentes afferat, *arg. Nov. Leon. 93.* sique hoc ante contracta sponsalia minus se novisse ostenderit: Alias enim non videtur fraudari, qui scit & consentit, *l. 145. ff. de reg. Jur. quodque semel placuit amplius displicere non potest, arg. l. 17. ff. commodati §. 3. add. l. 203. de R. I. conf. que habet Carpzov, Jurisprud. Consist. l. 2. Def. 188. add. Def. 186.* Hoc obtinere videtur etiam si altera pars à sponsalibus recedere maluerit, *arg. eorum que habet Illustr. Dn. Struv. Ex. 29. tb. 13.* (2.) Inspectio hæc quoque ulu venit, si stuprum violentum passa perhibeatur fœmina ad congressum maritalem nondum apta, (in fœminis enim nubilibus alia signa attenduntur, præsertim, si stuprator stuprum confiteatur, violentiam verò neget, *Carpz. P. Crim. Part. 2. qv. 76. n. 85. § seq.*) de eo enim certus esse debet Judex ex assertione obstetricum, quarum assertioni & judicio res hæc committitur, *Carpz. Jurisprud. Forens. P. 4. Constit. 31. Def. 1. n. 10. § seq.* Credendum enim est hac in

in re obstetricibus juratis, si non de veritate, attamen de credulitate deponentibus, *Bald. in l. nemini Cod. de advoc. divers. judic. Farinac. Pr. Crim. P. 4. t. 16. qv. 147. n. 141. add. Dn. Simon. d. Dissert. XV. P. 1. Præsid. Acad. tb. 9.* Prouti similiter quoque in puero peracti actus Sodomitici vestigia tali modo investigantur, *vid. C. Crusius de Indiciis Deictor. P. 2. cap. XLX. n. 1. & seq. (3.)* Eadem quoque inspectio locum sibi vindicat, quando certitudo gravitatis uteri desideratur. Hoc quidem olim plurimis solennitatibus fieri solebat, videlicet quinque mulieres inspiciere debebant, & id in ejusmodi conclavi, ubi unum tantum ostium, adhibitis tribus luminibus, & quæ hujus fanæ plura recensentur in *l. 1. §. 10. ff. de ventr. inspic.* Hisce verò ceremoniis repudium misit Praxis moderna, licet res ipsa adhuc observetur, testante *Jctissimo Dn. Stryk. Tr. de Jure Sensuum Dissert. 1. cap. 1. n. 44.* Triplici autem potissimum casu circa gravitatem locum sibi vindicat inspectio ocularis (a.) Si mulier post divortium marito denunciaret, se ex eò esse prægnantem, ut in *l. 1. §. 12. ff. de agnosc. & alend. liber.* sique maritus huic fidem adhibere nolit. (b.) Si fœmina post divortium neget, se ex viro prægnantem, qualis casus habetur in *l. 1. pr. ff. de ventr. inspic.* (c.) Si marito affirmet, se ex eo esse prægnantem, *l. 1. §. 4. ff. d. t. add. Illustr. Dn. Struv. S. J. C. Ex. 30. tb. 80. & seq.* Quoniam publicè interest, ut ordinum dignitas familiarumque salva sit, *l. 1. §. 10. ibid.* Atque hic casus sæpius contingit, præsertim in viduis nobilium, quæ hac ratione in possessione feudorum manent, *vid. Hahn. ad Wesemb. de ventr. inspic. n. 1. & seq. it. Simon. Præsid. Acad. Disp. 15. tb. 18. 19. Richter. P. 1. Decis. p. 64. & seq.* (d.) Porro si propter impotentiam coëundi lis à conjugate

juge conjugii moveatur, & divortium ab uxore petat maritus, ut si adeo arcta sit, ut mulier fieri non possit, prouti loquitur *Ulpianus in l. queritur 14. §. 7. ff. de edil. edict.* inspectio debet fieri per obstetrices, ut agnoscant, an apta sit puella ad virilem copulam nec ne, prouti hoc consilium suggerit *Innocentius III. Papa in c. Fraternitatis 6. X. de Frigid. & Maleficiat, add. Mascard. de Probat. Vol. 2, conclus. 817. Beust. de Matrim. P. 2. c. 14. p. 120. Dn. Simon. d. l. Disp. 14. de Impot. Conjug. cap. 3. n. 4. & seq. it. c. VII. n. 3. & seq. it. Disp. XV. tb. 34. & seqq.* Cum autem impotentiae vitium tam in mare, quam in foemina esse possit, utraque persona oculari inspectioni subjicienda, adeoque quaeritur, num maritus prius quam uxor sit inspiciendus, de quo vid. *Dn. Stryk de jure Sens. Diss. I. cap. 1. n. 53. (5)* Pari modo praevaletia sexus inquiritur in Hermaphroditis. *arg. l. 10. ff. de statu hom. ad matrimonium aspirantibus, ad quod non admittuntur, si se inspicere recusent, Carpzov. Jurisprud. Consist. lib. 2. t. 16. n. 14. add. Illustr. Dn. Struv. Ex. 29. tb. 27. circ. fin.* Item, si de successione feudali quaeratur, quoniam ibidem soli masculi admittendi, *Rittersbus. Partit. Eud. lib. 1. qv. 6. cap. 10.* aut si Hermaphroditus velit fungi officio Commissarii, de quo *Rutger. Rutand. de Commissar. & Commissionib. Camer. Imperial. Part. 1. lib. 1. c. 29. n. 5. a.* add. *Dn. Simon. d. Disp. XIV. cap. 4. n. 9. & seqq.* Nec arbitrio privati, sed consilio Medicorum oculari inspectione accuratè inquirentium res haec committenda est, *Dn. Stryk d. l. n. 60. & seq.* Referrī huc forsā possent, quae de inspectione & exploratione sexus ad Papatum promovendi referunt, nisi hoc unā cum historia Johannæ Papislae ad fabulas relegare malueris. Interim videri possunt *Monatliche Unterredungen einiger*

ger

97

ger guten Freude Aprilis 1689. p. 415 - 430. it. der Anhang desselben Jahres pag. 1689. It. Becm. Notit. Dign. Illustr. Dissert. XIII. c. 2. & c. 3. §. 2. Denique (6.) Si vulnus in pudendis inflictu sit ad examinandam ejus lethalityatem inspectio requiritur, qua de re in genere B. L. ad Carzov. Pr. Crim. Part. I. qu. 26. per tot. it. Rationale Vulnerum Lethalium Judicium D. Gothofred. Welsch. cap. 15. & passim, remitto, & illud tantum de castigatione, quæ à Parentibus in denudata liberorum posteriora fieri solet, addens, quod ea usque ad annum 12. Jure Lubecensi patri competat, vid. Vol. 3. Disp. VI. de Alapa cap. 2. §. 5. hoc quoque caput concludo.

CAP. VI. & ultimum.

DE

Nuditate Pedum.

SUMMARIUM.

§. I. Nonnullæ de moribus nudi- | §. II. Subnectitur Clausula to-
pedalibus extra judicium & in | rius Dissertationis.
judicio observatis adducuntur.



Reperaturo mihi denique ad finem Dissertationis hujus Pedum adhuc nuditas confideranda obvenit; ac licet ab initio hoc quiddam caput, utpote in quò nihil ferè legum subsidio definiendum reperitur, negligere cogitarim, attamen, ne corpus à me tractatum

cum mutilum, aut Disputatio, ut ita dicam, manca & absque pedibus, sive iustâ completionem & perfectionem materiæ esset, illud minimè omittendum, sed brevibus potius pertractandum iudicavi. Antiquissimos sanè mortalium pedibus nudis incessisse certissimum est, ex quibus inter primos tamen Judæos calceis usos fuisse colligere licet, *vid. Deut. XXIX, 5.* (quod miraculum ibidem contentum de non attritis Israëlitarum calceamentis protervè explicat *Isaacus Peirerius, Præadamitarum ille faber, lib. IV, System. Theol. cap. 6, p. m. 213. & seqq. add. Sopranes in Dav. digr. 1, f. 377.* num verò calceamenta Hebræorum soleæ saltem fuerint, an verò totum operuerint pedem *vid. ex cit. ap. D. Geier. de luctu Ebr. cap. 15, §. 1. ubi quoque de Christo num calceatus incesserit disquiritur.* De Germanis nostris antiquis dubium non est, quin nudis pedibus ambularint, ob ea, quæ dicta sunt *cap. II, §. I.* Apud Romanos quoque initio nascentis Reip. non modo servi, sed & Senatores ipsi nudis incedebant pedibus, ac clarissimi aliquandò Imperatores non ob paupertatem, sed ut patientis animi tolerantiaque bellicæ argumentum suis militibus præberent nudatis pedibus in publicum processerunt, *vid. Rosinus lib. V, Antiqu. Rom. cap. XXXVI. ibique Dempsterus in Paralip. p. 941. & seq.* De magno Mogole, qui in summâ majestate & in ipso throno nudis conspicitur pedibus, *vid. Beem. Hist. Orb. Terr. Geogr. & Civ. P. 2, c. XI, n. 6.* De incolis quoque Ægypti, qui nudis pedibus incedunt, & à teneris asiveri ita plantas callo obductas habent, ut ictum mallei non magis sentiant, quam equi, cum illis soleæ applicantur, *Id. P. 1, c. 6, Sect. 3, §. 1, p. 267. seq.* Calceamentis verò usu (commodiora semper svadente,) introductis, nihilominus quandoq; eadem solenniter

niter

niter deponuntur, uti religionis causa ob sanctitatem loci apud Judæos antiquos & hodiernos quoque, *vid. Geier. de luctu Ebr. d. l. §. 3. p. 304. seq.* item ap. Gentiles in festo nudipedatum *2. Ros. d. l. p. 942. lit. C. & D. Botfacc. Moral. Gedanens. verb. Nudipedalia p. m. 709.* ut alios casus apud Judæos observatos, qui videri possunt ap. *Geier. d. l. §. 3. & seqq.* lubens omittam. Hoc saltem de Judiciis antiquis Christianorum quoque addam, quod personæ aliquæ magni criminis in simulatæ ad testandam innocentiam suam pedes nudare & ferro candenti imponere debuerint, ita, ut illibati recedentes in fontes habiti sint, quam speciem tamen purificationis vulgaris, utpote quâ Deus tentari videtur, improbat Pontifex in c. 3. X. de probat. *vulg. add. Vallens. ad dict. tit. X. vid. Becm. sing. Disp. de Judiciis divinis. it. Sirenbock in libro de Jure Svecorum & Gothorum vetusto lib. 1. c. 8. & hic mos ab Orientalibus traxisse originem videtur, conf. Monatliche Unterredung Einiger guten Freunde Julius 1689. p. 687. it. Aug. p. 827. & seq. add. p. 838. ibid.* Addi quoque poterit de nudatione pedum in tortura *Carpz. Pr. Crim. P. 3. qv. 117. n. 32. & seqq.* Cæterum ratiōne nuditatis pedum hic quæri possit: *An uxor repeatur marito pedes lavare?* Quod, neg. Uxor enim de costa viri facta est non ex pede, ne esse videretur ad servitutem subjicienda, denn eine Frau/ ut Germani dicunt, ist kein Fußwisch *vid. Kol. 3. Disp. Stryk Disp. VI. de alapa cap. 2. n. 8.*

§. II. Verum sufficiant tandem & hæc de pedibus; & non immemor me Disputatiunculam aliquam non verò justis tractatus volumen elaborandum suscepisse, hic pedem figo, nuditatemque meam, cui B. I. compatiatur rogo, pro nunc manumitto, revocaturus fortè eandem, ut sub politiori formâ ac vestitu aliquan-

do in publicum prodeat, si Deus vitam atque felicem
 progressum studiorum, sicque plus ingenii ac scientiæ
 largierit, sique hunc elaborationis modum Viris doctis
 atque Patronis non displicuisse rescivero. Hac vice ero
 contentus, si hic exiguus & macilentus ingenii mei par-
 tus, si non scientiam juveni meæ ætatis convenientem,
 attamen hoc saltem ostenderit, me ad majora anniti.

PEDIMONTIUM.

ERRATA.

pag. 7. Summar. 2. lin. 3. & 4. divide sic: concupi-scentiæ, pro con-
 cupis-centiæ. p. 8. §. 1. l. 12. pro affectionum lege affectuum. p. 9.
 l. 26. pro distinctione (;) pone(,) p. 10. l. 5. pro optimi lege optimicq;. Ibid.
 l. 10. pro voluntatis appetitus inordinatus dictamini resistens, lege
 voluntas inordinati appetitus dictamini &c. p. 11. l. 14. pro refre-
 nandum lege refrenandum. p. 12. l. 23. pro observationibus immun-
 diciarum aliquarum lege observationibus circa immunditias ali-
 quas &c. p. 13. l. 1. pro illo lege illi. p. 18. l. 2. pro obscæna lege obscena.
 p. 28. l. 12. pro obscænitas lege obscenitas. Ibid. l. 22. pro obscæni lege
 obsceni. p. 32. l. 19. pro dicam adscribere lege dicam scribere. p. 38. l. 28.
 pro Gedanensi lege Gedanensis. p. 40. l. 23. pro statuere lege statui.
 Ibid. l. 29. pro cœpit lege cepit. p. 41. l. 2. pro ipsa licita habentur lege di-
 ctantur. p. 45. l. 21. pro ententia lege sententia. p. 48. l. 17. pro obscænam
 lege obscenam. p. 50. l. 27. pro lib. 2. cap. 20. lege lib. 2. cap. 19. lin. 17. pro
 cognoverat lege cognovisset. p. 51. l. 24. pro cap. II. lege cap. XI. (.
 lin. 27. post verbum sanciret, insere clausulam parentheseos. lin. 28. pro
 quo lege qua. lin. 32. pro debere lege debeat. pag. 54. l. 5. pro Seurgæ
 lege Senegæ lin. 6. pro ipsas lege ipsos. lin. 7. pro inquinum lege in-
 gvinum. lin. 28. pro sui lege sive. p. 60. lin. 23. pro cipis lege cibus.
 p. 63. lin. 28. pro nominabent lege nominabant. p. 65. l. 29. pro sæculum
 lege seculum. p. 69. l. 9. ibi: de quo jam §. add. præced. p. 72. l. 28. pro
 abolentur lege aboleatur. p. 78. l. 6. & 9. pro Mr. Dn. Pays lege Mr. du
 Pays. p. 79. l. 25. pro piacerei lege piaceri. p. 84. Summar. §. IV. pro
 ante nuptiis lege ante nuptias. pag. 88. lin. 23. pro membrum lege
 membrorum.



00 A 6336

ULB Halle 3
002 928 728




56.

VD 17

Reho ✓





XVII.
Q. B. V. S. S. T.

PERMISSU INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ
ALMÆ SALANÆ,
DE EO QVOD JUSTUM EST
CIRCA

NUDITATEM,

P R Æ S I D E

DN. PAULO HENR. TILEMANNO,
JURIUM DOCTORE,

*Disputabit publicè in Auditorio
JureConsultorum*

ad d. Maji MDCCCXCII.

AUTOR & RESPONDENS

OTTO CHRISTIAN COCH
HANNOVERANUS.

JENÆ, TYPIS GEORGI HEINRICI MÜLLERI.

